ctus, qui in primo templo ad loquendum cum Prophetis ſæpiſſimè veniebat, in ſecundo venire ſolitus fuit. Quæ omnia per Talmud optimè probantur. Nam in libro Sanhedrin Hieroſolymitano in cap. Ellu hen haggolin, ait Rabbi Samuel: Quinque res defuerunt in ultimo templo, quæ in primo fuerunt. Ex eo quod dictum eſt Haggæi primò capite, Aſcendite in montem, & afferte lignum, & ædificate domum, & contentabor in ea, & honorabor, dixit Deus. Veecabda, id eſt, & honorabor, vel honorabo, ſcilicet eam, diminutè ſcriptum eſt ſine litura he finali, quæ quinque deſignat, ad ſignificandum quinque res, in quibus ſanctuarium ultimum fuit à primo diminutum. Videlicet Ignem, Arcam, Urim vethumim, id eſt, lumina, & ſimplicitates, hoc eſt, Rationale judicii: Oleum unctionis, & Spiritum ſanctum. Gloſſa autem Rabbi Salomonis ſuper verbo Veecabda, id eſt, & honorabo eam, ſic dicit: Deeſt hic litera he, quæ quinque ſignificat, ob quinque res, quæ in ſeculo templo defuerunt, & in primo fuerant: videlicet Urim vethumim, id eſt, lumina, & ſimplicitates, hoc eſt, rationale judicii, & arca, & ignis, & divinitas, & Spiritus. *P. Galatin. l. 4. contra Judæos.*

DAGOBERTUS Francorum Rex, cervum inſequebatur. Hic jam curſu laſſus in vicum Catuliacum profugit: in eo vico ſacellum erat, ubi lapide inſtrata, corpora Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherii martyrum, per annos triginta ſupra quingentos religiosè condebantur. Eò ſe cervus proripuit, ſoloque recumbens quieti ſe mandavit: neque canibus, aut venatoribus in ſacellum irrumpendi facultas fuit. Dagobertus ergo martyribus templū vovit: ædificavit, & ſolido argento texit, eoque transferri corpora inſtituit, condito ad eum uſum aureo feretro, additiſque ad decorem multis, variiſque gemmis, annuis inſuper proventibus ad ſacerdotum, & miniſtrorum templi alimoniam deſignatis. Emporium item annuum menſe Junio in campo non procul à baſilica ſanctorum inſtituit, translata miniſtris Eccleſiæ ditione: id Lenditum vulgus, quaſi Edictum appellat, propterea quod ad eas nundinas mercatores ſuas undique merces edicto regio tanquam ad communem regni mercatum conferre deberent. Templum Chriſto dedicatum leproſus quidam in eo pernoctans, lepræ ablatæ, & parieti affixæ argumento, fidem fecit. *Guagnin. l. 3. c. 2. & 3. & Crantz. l. 1. Sax. c. 32.*

Apud oppidum Hiſpaniæ Olianam, quod eſt in ripa Sicoris, & diſtat ab Ilerda paſſuum millia circiter quadraginta, domus eſt Mariæ Virginis Caſtilvedrenſis in alto loco poſita, ad quam domum ſingulis annis Martio menſe, diebus Veneris ex inſula fluminis tria lumina cærulei coloris accendunt, & Eccleſiam per feneſtras ingreſſa, lampades accendunt, & ſubinde deſcendunt ad eundem locum, unde venerant, ibique ab inſpicientium oculis evaneſcunt. *Marin. l. 5. rerum Hiſpan.*

Anno Domini 589. Veronæ Atheſis amnis ita crevit, ut apud ad ædem D. Zenonis pervenerit. Quod pro inſigni miraculo S. Gregorius ſcripſit: Authari ipſo Rege ſpectante, aqua apertis templi januis ingruens, templum tamen ipſum non iniit, & paulatim creſcens uſque ad feneſtras, quæ proximæ tecto erant, evaſit. Qui verò in templo remanſerant, cùm elabi inde non poſſent, aquam tamen ad januam templi venientes hauriebant: neque ab ejus impetu aliquid noxii accipiebant. Ea ædes fuit, quæ hodie in ripa Atheſis ſita Oratorium S. Zenonis vocatur. Templo ipſo incolumi, tamen muri urbis vi aquæ multis in partibus prociderunt. *Ex Greg. Carolus Sigon. l. 1. de Regno Italiæ ad ann. 589.*

☞ *Ad hunc Titulum referantur, quę paulò ante de Pietate erga Eccleſiarum ſtructuram miraculis confirmata, diximus. Etiam ad pręſentem locum pertinent Templa in honorem Deiparę Virg. excitata variis in locis. Ex loco de S. Maria.*

IMPIETAS ADVERSUS TEMPLA.

ARAS, LOCA DEO DICATA.

☞ *Referuntur huc ex loco de impietate, ubi multa de hoc argumento.*

* TEMPLORUM EVERSIO, EXUSTIO, & Profanatio.

EXEMPLA ETHNICORUM.

Templum Junonis juxta Mycenas antiquiſſimum, & ditiſſimum conflagravit, cùm ſomnus Chryſeidem, Junonis ſacerdotem oppreſſiſſet, incenſis proximæ lucernæ lumine coronamentis. Ipſa Tegeam ad Aleæ Minervæ aram ſupplex confugit. *Pauſ. in Corinth.*

Argi lucus ſacer à Cleomene Spartanorum rege incenſus, & Argii hoſtes, qui eò confugerant, exuſti. *Herod. lib. 9.*

In Sicyoniorum foro Pithus Deæ templum, olim à Præto dedicatum conflagravit, & ſimul donaria vetuſtiſſima, & elegantiſſima. *Pauſanias in Corinth.*

Templum Jovis Capitolini primùm, quod Tarquinius condidit, & dedicavit Horatius Pulvillus conſul, incendium bellis civilibus abſumpſit. Sunt, qui putant opera Syllæ incenſum Capitolium, alii Carbonis Coſ. Appianus in belli civili, fortuitam fuiſſe deflagrationem, & cauſam latere ſcribit. Secundum excitavit Sylla, ſed Catulus, Sylla fato prævento, eſt dedicationi præſcriptus. Quod cùm iterùm bellis inteſtinis Vitellianis deflagraſſet, tertium cum alia uſus felicitate, cum hac Veſpaſianus, ab initio vidit excitatum ad finem, concidens paulò poſt non vidit: verùm hactenus Syllam ſuperavit felicitate, quatenus ille conſecrationem templi à ſe ædificati, hìc interitum morte prævenit. Simul enim atque diſceſſit Veſpaſianus, Capitolium hauſtum incendio eſt. Quartum à Domitiano, & expletum eſt, & dedicatum. *Plut. in Poplic. & Ap. l. 1. bel. civil.* Sub Commodo Ædes Jovis Capitolini fulmine incenſa, ignem in bibliothecam vicinam inſtructiſſimam, majorum cura, & diligentia adornatam, derivavit, eamque magna cum jactura, & clade litterarum, & librorum exuſſit. Nec multò poſt ſecutum eſt aliud incendium, templa Pacis, & Veſtæ, & Palatium concremavit, magnamque partem ipſius urbis diruit, ac ſolo æquavit. *Spart. Oroſ. Herod.*

Apollinis templum Daphnæum in Antiochiæ ſuburbio (quod Gallus Imper. Chriſtianis conceſſerat, & ibi etiam Babylæ martyris reliquias repoſuerat) cum Julianus apoſtata denuò idolis coinquinaret, ejecto Babylæ cadavere, ignis incerto auctore coortus, templum integrum abſumpſit. *Niceph. l. 10. c. 28.*

JOVIANUS Imp. à conjuge inſtigatus, Antiochiæ templum magnificentiſſimum, quod Hadrianus in honorem patris Trajani extruxerat, & Julianus apoſtata in bibliothecam redegerat, una cum libris omnibus cremari juſſit.

FIDELIUM. UTPOTE JUDÆORUM.

Templum Hieroſolymitanum primùm à Salomone extructum, à Nabuchodonoſore rege Babyloniorum incenſum eſt die x. menſis Auguſti. Tertium, quod templo à Zorobabele ædificato diruto, rex Herodes magnificè extruxerat, ſub Tito Imp. conflagravit, eodem ejuſdem menſis die. *Joſephus l. 7. c. 6. & 10. belli Judaici.*

☞ *Pete nonnulla infrà, ex Tit. de Erroribus circa Templa.*

* Voluit autem Deus everti templum Salomonis, ut intelligeremus, inquit *Card. Bellar. t. 2. Controverſ. l. 3. c. 4.* ſtatum Teſtamenti veteris jam ceſſaſſe, ac cùm nova lege, novoque ſacerdotio alia Templa erigenda, juxta ea, quæ Dominus noſter dixerat Samaritanæ, *Joannis c. 4.* ubique locorum offerendum ſacrificium, &c.

CHRISTIANORUM.

Conſtantinopoli cùm D. Joannes Chryſoſtomus Epiſcopus à conjuratis, & ab Eudoxia Imperatoris conjuge in exilium pelleretur, ignis è medio Templi throno, in quo ille concionari conſueverat, divinitùs emicans, derepentè in ſublimè aſcendit, & tecto conſumpto, violentoque vento exceptus, proximam Senatus curiam meridiem verſùs, quamvis longiuſculè diſſitam, intermediis ædificiis illæſis invaſit, & tribus horis integram abſumpſit. Inde ſerpens vicina ædificia devoravit: ab ea ædicula ſola abſtinens, ubi ſacra vaſa aſſervabantur. A crepuſculo ad auroram uſque duravit incendium. *Niceph. l. 13. c. 21.* divinitùs ait immiſſum emerſiſſe è ſuggeſtu, ubi Joannes docere conſueverat. *Sozom. l. 8. c. 22. & Socrat. l. 6. c. 18.*

Anno Salutis 1000. Padeburna gravi incendio arſit, & nobile principalis Eccleſiæ Monaſterium, præcipui operis, & decoris à Carolo fundatum, & à Badurado ejuſdem Eccleſiæ Pontifice, conſummatum, cum libris, privilegiis, aliiſque Eccleſiæ ornamentis conflagravit. Ob quam rem Retharius Epiſcopus ſolemnes miſit nuncios Romam, tam ſummo Pontifici, quam Imperatori ibi tum agenti, omnia privilegia Eccleſiæ ſuæ poſtulans innovari. *Crantz. l. 3. Metrop. c. 40.*

Anno penultimo Bezelini Archiepiſcopi Hamburgenſis Domus S. Petri Bremæ conflagravit: ejuſque flamma incendii, clauſtrum cum officinis, urbem cum ædificiis totam conſumpſit, veteriſque habitaculi nullum permanſit veſtigium. Ibi ſacer theſaurus Eccleſiæ, ibi libri, & veſtes, ibi omnia ornamenta ſunt conſumpta, Archiepiſcopus præpoſituram contulerat Edoni. Id ægrè ferens junior Edo, nepos ejus, monaſterium incendit. Pro cujus ſacrilegii expiatione pater Edonis ſuam hæreditatem obtulit Eccleſiæ. *Crantz. libro 4. Metrop. cap. 27.*

Anno

Anno Chriſti 852. Herbipoli, ſeu Uvittzburgi vices terra tremuit, grandine, turbine, inſolitaque cœli intemperiè homines, pecudes, agrique afflicti ſunt. Templum Divi Kiliani Nonis Junii, defunctæ lucis ſalutationibus, horam nonam nunciantibus, atque perſtrepentibus ſacerdotibus, ſubito fulmine afflatum eſt, igniſque laquearia lambens, & ſenſim invaleſcens, feneſtram pleriſque evadendi aperuit; ſacerdotes tamen quidam veſte illæſa extincti ſunt. Cæterùm ædes vix ſervatis ablatiſque ſacris igni concremata eſt. Muros deinde ſexto Idus ejuſdem menſis ventus evertit, & ſolo æquavit. *Avent. l. 4. annal. Bojorum.*

Tertiò, & vigeſimo nono Alexandri III. Scotorum regis, tribus aut quatuor diebus à feſto Epiphaniæ ventorum tanta tempeſtas cum ingenti grandine per totam Scotiam facta eſt, ut dejectis paſſim ædibus, ignis ex focis enatus, pagos complures, ac oppida perdiderit. Incenſis turribus altis, campanæ partim confractæ, partim liquefactæ, tum aliæ, tum præſertim templi Arbirbrothii cum ipſis una abſumptæ. Inſignia præterea oppida, Aberdonia, & Perthum, majori ex parte conflagrarunt, cum pagis. *H. Boethius lib. 15.*

GALEACIUS Sfortia, Mediolanenſium dux, Florentiam voti perſolvendi cauſa veniens, à Laurentio Medices ſumptu regio ſuſceptus fuit, & multa cum eo de iis moribus, qui poſteà ſubſecuti fuere, contulit. Inter ea agenda (quod eorum, quæ poſteà evenerunt portendere exitum viſum eſt) cùm ad S. Spiritus dies feſtus Pentecoſtes ageretur, intento populo ejus diei memoriæ inſtaurandæ, injectus ignis è ſuperiore templi parte, qui pluribus ſimul locis linguarum forma, tanquam cœlitus emitti videbatur, tecta primùm comprehendi, mox continenti incendio correptis propinquis locis, non priùs illa humana vi, aut conſilio potuit reſtringi, quàm ad ſolum uſque ædes deflagravit. *Brutus lib. 5. hiſtor. Florentinæ.*

* Anno M.D.XXXIII. gravi, & inexpectato infortunio, menſe Octobris ignis tanta violentia invaſit Eccleſiam primariam Antuerpienſem, ut breviſſimo tempore totum illius ornatum depaſceretur; & altaria omnia, quæ numero LVII. erant; affabrè, & ſumptuosè compoſita, in cinerem redigeret, tandemque & ipſos fornices, ac tectum ſupernè convellebat: ſic ut etiam ad campanile, quo nullum Chriſtianus orbis habet præſtantius, ſe diffunderet flammarum impetus. Itaque etiam corripiendum videbatur, niſi Lancelotus van Urſſel eo tempore Conſul, per medios velut ignes ruiſſet, & concivibus ſuis dux factus, conjuncta manu, adhibitiſque machinis, vim incendii repuliſſet. Scripſit hujus facti memorabilis elogium *Cornel. Graphæus*, urbi eidem à Secretis. *Guicciard. in hiſtor. Belgica.*

☞ *Videatur Titulus Sacrilegorum, & Sacrilegii. Item infrà Titulus de Erroribus circa Templa.*

☞ *Quære etiam in fine hujus loci, Tit. de Templorum irreverentia, Pollutione, & actionibus per quas eadem committantur.*

* EVERSORES, ET PROFANATORES Templorum puniti.

EX S. SCRIPTURA.

Cùm Azotii gens Arabica arcam fœderis reliquiis ſacris plenam in templum portarent, & apud ipſum Dagon, qui execrandum illorum idolum erat, collocarent, fecit Deus ut mox illa nocte ſtatua Dagon, nemine eam ſubruente, deturbaretur, & in fruſta, nemine eam tangente comminueretur. Adeò quippe potens eſt Deus ut ad juſtitiæ ſuæ executionem humana neutiquam indigeat induſtria. Porrò Deus idolo à ſe deturbato, confractoque non contentus, Cultores etiam illius punivit. Nam quinque antiquiſſimarum, & nobiliſſimarum civitatum viri ſimul ac mulieres afflicti fuerunt in ſecretioribus ani condylomatis, ut neque ſedentes cibum capere, neque equitantes iter facere poſſent, utque peccati atrocitatem ex pœnæ quam illius ergo perſolvebant aſperitate cognoſcerent univerſi, divinæ juſtitiæ decreto, mandatoque factum eſt, ut omnes domus, omnes plateæ, omnes horti, omnes ſegetes, omnia ſepta (penetralia) omnes denique campi muribus complerentur (infeſtarentur.) Peccarunt idola adorando, Deumque verum deſerendo, ideò duplici eos malo ulciſci Deus voluit, ut & condylomatis hominum corpora excruciarentur, & à muribus opes conſumerentur. *1. Reg. c. 5.*

Azotii arcam in loco ipſorum opinione ſanctiſſimo, & honoratiſſimo poſuerunt, multi verò Chriſtiani Dei timore relicto Eccleſiæ opes rapiunt, & ad uſus profanos accommodant. Quantum ſuperſtitio Azotiorum à religione differt Chriſtianorum, tantùm peccati illorum atrocitas ab horum peccati atrocitate diſtat, illi peccarunt non credentes arcam verè Dei typum eſſe; nos autem verum Deum eſſe & credentes, & confitentes, nullo pudore tot ipſum peccatis offendimus. Quanto ergo gravior erit pœna noſtra?

Cùm Oza manu tangeret nonnihil nutantem rotam vehiculi, cui impoſita erat arca fœderis, ut traduceretur Hieroſolymam, humerumque rotæ, ne vehiculum everteretur, admoveret, ſubitò in conſpectu omnium exanimis concidit. Si idcircò, quod manum vehiculò, ne everteretur, admovit, morte illa affectus fuit, nulli qui ſacrarum ædium ruinam adjuvat vitæ prorogatio à Deo ſperanda eſt. Cùm tanta uſus diligentia vitam Oza perdidit, quid nos ſperamus, qui tanta negligentia Eccleſias ſinimus collabi? Si pœnam Oza tantam meruit, quod ſine reverentia arcam tenuit labentem, quæ nos pœna manet, qui per malitiam potiùs, quam per ignorantiam ruinam Eccleſiarum adijuvamus? *2. Reg. c. 6.*

Cùm Balthaſar Rex (qui patrem ſuum magnum illum Nabuchodonoſorem vita defunctum in trecenta fruſta ſecari, totidemque falconibus devorandum obiici juſſit, ne ab ipſo reſuſcitato, & in vitam revocato regno rurſus privaretur) in convivio, quod apparaverat, totum ſe lætitiæ dediſſet, vinoque liberalius hauſto non admodum eſſet ſobrius, vaſa (Scyphos argenteos, pateraſque aureas) quæ Nabuchodonoſor è templo Hieroſolymitano rapuerat, de theſauris ſuis prolata in menſa juſſit ſtatui, ut in iis convivæ potarent, quod cum facerent, repentè manus in pariete, ſine corpore, brachioque apparens hæc verba digito exaravit, *Mane, Thecel, Phares*, quorum hæc eſt ſententia; vitæ tuæ tabulas, ò Rex Deus inſpexit, & completam eſſe malitiam tuam invenit, teque, & univerſum regnum tuum ponderari in trutina juſſit, multùmque vobis ad juſtum pondus deeſſe deprehendit, itaque ut & vita tibi propter peccata adimatur, & regnum tuum ut Medis, & Perſis hoſtibus tuis tradatur, jubet. Neque verò vanum fuit viſum. Sed illa ipſa nocte non prorogata ſententiæ executione captaque ab hoſtibus urbe (Babylone) Rex interfectus, regnum amiſſum, theſauri direpti concubinæ decollatæ (viri principes) illuſtres capti, & Chaldæi univerſi ſervitute oppreſſi fuerunt. Si Balthaſar tam aſperè fuit punitus, quòd concubinas ſuas, & amicos è vaſis ſacris bibere voluit, qua pœna digni ſunt, qui Eccleſiæ ſpolia ad res profanas accommodant? ut malus fuit Balthaſar, theſauros tamen illos è templo Synagogæ neque permutavit, neque aliis dono dedit, neque vendidit, neque oppigneravit. Quam verò multi abſq; ullo pudore Eccleſiæ bona conſumunt, permutant, alienant. Quàm multi non calicem ſacrum concubinæ, ut ex eo bibat, propinant, ſed quod multò videtur gravius peccatum, per Simoniam in Eccleſiam ingrediuntur? fuit tyrannus ille ſtultitia potiùs, quàm avaritia victus, iſti verò, & ſtultitia, & avaritia, & Simonia vincuntur (excæcantur.) Nabuchodonoſor vaſa ſacra Hieroſolymis aſportavit, & Balthaſar pœnas luit, quia filius tenetur reſtituere quidquid ipſi pater malè partum reliquit. Non minus enim pœnam meretur, qui furto fruitur, quàm qui furtum ipſum commiſit. Divina cenſura non ſolùm duces facinoris, ſed etiam participes pœnis deſtinantur, ait Cypr. & ſcienter receptans rem furtivam tenetur furti, ait I.C. *Daniel, cap. 5.*

HISTORICA.

Cùm Pompejus magnus templum Hieroſolymitanum in equile convertiſſet, tota urbe exciſa, hoc factum adeò Deus abominatus eſt, ut cùm fuiſſet eatenus victor, & de Regibus viginti duobus triumphaſſet, deinceps infeliciſſimus, & omnibus præliis victus fuerit, vel ut Oroſ. ait, cùm anteà ſemper eventu proſpero bella geſſiſſet, poſteàquam in Hieroſolymitani templi adytum nefaria curioſitate irrupiſſet, aleam belli adverſam expertus eſt. *Joſeph. l. 14. antiq. c. 5.*

Refert S. *Athanaſius epiſt. ad ſolit.* quomodo ann. Dom. 356. quidam Juvenes moribus incompoſiti, audacter penetraverint interiora templi Alexandrini ſub Conſtantino Imp. Ariano, & throno ibidem petulanter inſederint, eundem convellere laborantes, & fornicarios ronchos, nulla majeſtatis loci ſacri ratione habita ducentes è naribus. Sed non diù abfuit ultrix Dei manus: nam ut Azotii olim auſi arcam tangere, interibant, ſedium tormentis prius excruciati: ita quoque Miſer iſte auſus ſellam convellere, fragmento ligni inde in ventrem ipſius reſiliente, & quaſi ab ipſa ultione impacto inteſtina ſua perforavit, & eadem vi qua ſolium diſrumpere conabatur, rupta alvo, ſua inteſtina effudit, celeriuſque, quam ipſe thronum auferret, thronus ei vitam ſuſtulit, effuſis enim viſceribus collapſus eſt, & inde aſportatus poſt unum diem exſpiravit. Alius

item

item cum frondibus ingreſſus, & ut ethnicus, eas manu per ludibrium agitans ſtatim obortis tenebris ita oculis caligavit, ut nihil videret, neque intelligeret ubi terrarum eſſet, quem jam jam collapſurum ii, qui aderant manibus ducentes vel potiùs geſtantes è templo extulerunt, adeò ut vix poſt diem ad mentem redierit, nihil memor eorum, quæ vel fecerat, vel paſſus erat, quibus conſpectis ethnici quidam in metu erant hactenus, *Athanaſius*.

Gregorius Turonenſis enarrato miraculo de fonte baptiſmali in Luſitania, hæc ſubjungit *de gloria mart. l.* 1. *c.* 24. Cuidam verò ex hæreticis Deum non metuenti, neque venerationem præſtanti huic loco ſancto, neque credenti corde miraculum: quod in eo Dominus ad corroborandam ſuorum fidem præſtare dignatus eſt, quid evenerit, non ſilebo; venit cum turba equorum, ſolutiſque impedimentis, juſſit in baſilica poni, equitibuſque in ea præſepia præparari, irridens miſer, quæ de hoc loco narrabantur ab incolis, igitur media nocte prætereunte, à febre corripitur, ac penè exanimis, & tardius, quàm debuerat, pœnitens, exclamat, equites ab æde expelli, erat enim ei, ſub Rege licet, magna tamen in illa regione poteſtas. Expulſiſque è baſilica ſancta equitibus, ad ſe reverſus cœpit dentibus proprium lacerare corpuſculum, nec prorſus retineri à ſuis ob nimiam poterat debacchationem. Tandemque oppreſſus inter ſuorum manus ſpiritum exhalavit, &c. acciderunt hæc anno 417.

Idem Greg. ait *De geſt. Franc. l.* 2. *c.* 27. De quadam Eccleſia urceum miræ magnitudinis, ac pulchritudinis hoſtes (Franci) abſtulerunt cum reliquis Eccleſiaſtici miniſterii ornamentis. Epiſcopus autem Eccleſiæ illius (S. Remigius) miſſos ad Regem (gentilem Clodoveum) dirigit, ut ſi aliud de ſacris vaſis accipere non mereretur, ſaltem vel urceum Eccleſiæ ſuæ (Rhemenſis) recipiat. Hæc audiens Rex ait nuncio; Sequere nos uſque Sueſſionas, quia ibi cuncta, quæ acquiſita ſunt, dividenda erunt. Cùmque mihi vas illud ſors dederit, quæ tu poſcis, adimpleam. Dehinc adveniens Sueſſionas cuncto onere prædæ in medium poſito, ait Rex: Rogo vos, ò fortiſſimi præliatores, ut ſaltem mihi vas illud (hoc de urceo ſupra memorato dicebat) extrà partem concedere non abnuatis. Hæc Rege dicente, illi, quorum erat mens ſanior, ajunt, omnia, glorioſe Rex, quæ cernimus, tua ſunt, ſed & nos ipſi tuo ſumus dominio ſubjugati. Nunc quod tibi beneplacitum videtur, facito, nullus enim poteſtati tuæ reſiſtere valet. Cùm illi hæc ita dixiſſent, unus levis, invidus, ac cerebroſus, cum voce magna, elevatam bipennem urceo impulit, dicens: Nihil hinc accipies, niſi quæ tibi ſors vera largitur: ad hæc obſtupefactis omnibus, Rex injuriam ſuam patientiæ lenitate coercuit, acceptumque urceum nuncio Eccleſiaſtico reddidit, ſervans abditum ſub pectore vulnus. Tranſacto verò anno, juſſit omnem cum armorum apparatu advenire phalangem, oſtenſuram in campo Martio ſuorum armorum nitorem. Verùm ubi cunctos circuire deliberat, venit ad urcei percuſſorem, cui ait: Nullus tam inculta, ut tu, detulit arma; nam neque tibi haſta, neque gladius, neque ſecuris eſt utilis. Et apprehenſam ſecurim ejus in terram dejecit. At ille cùm paululùm inclinatus fuiſſet ad colligendam eam, Rex elevatis manibus, ſecurim ſuam capiti ejus defixit. Sic (inquit) tu apud Sueſſionas in urceo illo feciſti. *hæc Greg.*

Cùm ad Spoletanam urbem Longobardorum Epiſcopus Arianus veniſſet, & locum illic, ubi ſolemnia ſua ageret, non haberet, cœpit ab ejus civitatis Epiſcopo Eccleſiam petere, quam ſuo errori dedicaret. Quod dum valdè Epiſcopus negaret, Idem qui venerat Arianus, B. Pauli Apoſtoli Eccleſiam illic cominus ſitam ſe die altero violenter intraturum eſſe profeſſus eſt. Quod ejuſdem Eccleſiæ cuſtos audiens feſtinus cucurrit, Eccleſiam clauſit, ſeris munivit, facto autem veſperè lampades omnes extinxit, ſeque in interioribus abſcondit, in ipſo autem ſubſequentis lucis crepuſculo Arianus Epiſcopus collecta multitudine advenit, clauſas Eccleſiæ januas effringere paratus. Sed repentè cunctæ ſimul portæ divinitus concuſſæ, abjectis longius ſeris, apertæ ſunt; atque cum magno ſonitu omnia Eccleſiæ clauſtra patuerunt, effuſo deſuper lumine, omnes, quæ extinctæ erant, lampades, accenſæ ſunt. Arianus verò Epiſcopus, qui vim facturus advenerat, ſubita cæcitate percuſſus eſt, atque alienis manibus ad ſuum habitaculum reductus. *Hæc Gregorius dial.* l. 3. *c.* 29. *& Bellar. l.* 1. *de Chriſto, c.* 12.

Damaſcenus refert ex *S. Anaſtaſio* Sinaita, Saracenos templum S. Theodori omnibus ſordibus, & immunditiis ex fœminarum, & puerorum, atque animalium rationis expertium commixtione fœdaviſſe, & unum eorum ſagittam in S. Theodori imaginem intorſiſſe, & ſtatim ſanguinem defluxiſſe. Cùm verò viginti, inquit, eſſent eorum familiæ, qui in templo commorabantur, intra paucos dies acerbo omnes morbo deleti ſunt, cùm eo in loco nemo ipſorum diebus illis interierit, exceptis iis, qui in templo fuerant commorati, &c.

Jonas Abbas. Cùm beatus Arnulfus (Metenſis Epiſcopus) jam penè omnes theſauros Eccleſiæ in uſus pauperum erogaſſet, ſupererat adhuc diſcus argenteus, habens libras 72. hunc quidam Hugo primus procerum dato pretio comparavit. Sed omnipotens Deus non paſſus eſt, ut laicus illo frueretur, qui in honorem B. Stephani protomartyris olim conſecratus habebatur. Prædicto ſiquidem Hugone præpeti morte proſtrato diſcus ille Clothario Regi allatus eſt, qui cùm, referentibus quibuſdam, comperiſſet hunc à Beato Arnulfo ob alimoniam pauperum venundatum fuiſſe, mox tanquam cælitus inſpiratus jubet eum velociter ſuperpoſitis centum aureis ad Metenſem civitatem S. Pontifici deferri.

JULIANUS avunculus Juliani apoſtatæ Imp. auſus impuris manibus ſacra vaſa contingere, hoc etiam ſcelere non contentus, ſed contumelia ulterius progreſſus (vaſis enim iis, inverſis, & ſuper pavimentum collocatis, atque extenſis, ita ſuper ea deſedit) eveſtigiò illegitimæ hujuſce ſeſſionis pœnas luit; illius enim verenda corrupta vermiculos generarunt, ita ut morbum divinitus illatum conſtaret: ad quem curandum medici aves pingues, eaſque peregrinas interficiebant, quibus ad putrefacta membra admotis vermiculos evocabant. Illi verò loco cùm non moverentur, putridis partibus mordicus inhærebant, atque illum ita demum multis diebus abſumptum perdiderunt. *Chryſoſt. contra Gent. Theod. l.* 2. *cap.* 11. *&* 12. ait, eum viſceribus putredine exeſis interiiſſe, atque ſtercus non amplius per partes illas corporis, per quas naturaliter egeri ſolet, emiſiſſe, ſed ſceleratum ejus os, inſtrumentum blaſphemiæ partis illius ad ſtercus eiiciendum natæ locum obtinuiſſe. Præmittit enim: Julianus cùm eſſet in templo adversùs ſacram menſam minxiſſe dicitur, atque Euzojo eum prohibere conanti collapſum infregiſſe, dixiſſeque, res Chriſtianorum divina cura, & providentia prorſus deſtitutas eſſe. Subjungit verò: ferunt ejus uxorem, mulierem ob fidei conſtantiam egregiè nobilitatam, hæc ad maritum dixiſſe: Debes meritò, mi vir, Chriſtum ſalvatorem laude prædicare, quòd tibi hac caſtigatione ſuam potentiam oſtenderit. Nam quem oppugnaſſes, planè te præteriiſſet, niſi conſueta ſua lenitate uſus has plagas tibi divinitus inflixiſſet. *Hæc Theod. l.* 4. *c.* 28.

FELIX Præfectus ærarii Imperatoris Juliani ſacrorum vaſorum magnificentiam conſpicatus (Conſtantinus enim, & Conſtantius ſplendidè, & amplè ea conficienda curaverant.) Ecce inquit, quàm ſumptuoſis vaſis filio Mariæ miniſtratur. Derepentè verò flagello cælitus impacto oppreſſus, ſanguinem dies, noctesque ex ore fudit. Quippe ſanguis ex omnibus undique corporis (ut ita dicam) vaſis, quibus continebatur, ad eam partem confluxit. Itaque univerſo ejus ſanguine in hunc modum exhauſto, ſtatim extinctus eſt, & æternæ morti traditus. *Theodorus ibid. Chryſoſtomus contra Gent.* ait: Antequam aulæ regiæ limen tranſcenderet (veniens è templo) derepentè medius crepuit. Quoniam enim diruptis viſceribus, ore vomens ſanguinem continuò exſpiravit, viſus eſt medius crepuiſſe. Corrigendus tamen videtur tum ex *Ammiano* (*libro* 23.) tum ex Chryſoſtomo Theodor. dum ait, dies, noctesque ſanguinem evomuiſſe, quem repentino exitu Dei vindicta eſſe ſublatum conſtat.

Cùm circa annum Domini 1579. oppidulum Kerpenſe non procul à civitate Colonienſi diſſitum diverſis irruptionibus nunc Statuum, ut vocant, nunc Regiorum militum invaderetur, Miles quidam in Eccleſiæ, quæ ibidem collegiata eſt, baptiſterium impietate pluſquam copronymiana cacavit, qui paulo poſt hoc ſacrilegium auſum divinitus oculorum lumine privatus eſt, cùmque vagis greſſibus huc illucque oberraret, in hoſtes incidens captus eſt, atque ante ipſas valvas Eccleſiæ, quam impiè fœdaverat, laqueo ſuſpenſus. Percrebuit mox ea fama multorum fide dignorum ſermone per totam civitatem Agrippinenſem. Non quidem ſemper clementiſſimus Deus pro immenſa ſua miſericordia, & longanimitate impios hæreticorum, & ſacrilegorum conatus extemplò vindicat, quandoque tamen in ejuſmodi theomachos ſeverè animadvertit, ut paucorum exemplo alii terreantur, nec in perpetuum divitiis bonitatis ejus abutantur. *Bredemb. lib.* 7. *cap.* 53.

Apud civitatem Noveſium in ditione Colonienſi ſitum eſt monaſterium Canonicorum Regularium, quod anno 1583. quibuſdam ex cauſis dirui cœptum eſt, fratribus iſtius loci in ipſum oppidum tutiori loco tranſlatis. Erat autem in ipſa civitate Mulier quædam novis dogmatibus infecta, plurimis annis ab Eccleſiarum ingreſſu abſtinens, quæ cùm aliquoties interrogaretur, cur non cum aliis Eccleſiam ingrederetur, plerumque reſpondebat uſitatum illud apud profanos homines dicterium, Eccleſiæ columnas eſſe ex calce, & lapidibus fabricatas, metuere ſe, ne illæ corruentes in caput ipſius concidant. Porrò cùm monaſterium illud Regularium Canonicorum certis ex cauſis circa ferias paſchales proximè elapſas dirueretur, mulier iſta, quæ Eccleſiarum vaſtatione magis, quàm ædificatione, & cultu earum delectabatur gratulata ſibi dicitur, quòd diem illum vixerit, quo in patria ſua conſpicere daretur demolitionem Eccleſiæ, itaque feſtina progreſſa eſt ad locum monaſterii Regularium, viſura ipſam deſtructionem, comitata ancilla, & altera puella admodùm juvencula. Cùmque templum, quod jam dirui cœptum erat, ipſa octava Paſchæ lætabunda ingreſſa eſſet, dirutoque tecto, multa nunc in eodem eſſent luxata, columna quædam ruinam minari cœpit, calce, & lapillis quibuſdam ſenſim decidentibus. Puella mulierem inclamat, ut loco diſcedat, atque imminenti ruinæ ſe ſubducat. Quòd cùm ſemel, atque iterùm moneretur, nec acquieſceret: illa in præſentem perniciem ſuam nunc ſecurior, quæ anteà tot annis ad cujusvis templi ingreſſum vel vera, vel ficta, ut veriſimilis eſt, fortitudine trepidaverat, ecce ſubitò ingens Eccleſiæ columna corruit, ipſamque mulierem inopinato quidem, ſed divino caſu penitus perfundat, & conterit. Sic videmus plerumque accidere, ut per quæ quis peccat, per eadem etiam puniatur: contempſit illa Eccleſiam, quia calce, & caducis lapidibus compacta eſſet, Deus Eccleſiæ ſuæ vindex, permiſit illam calce, & caducis lapidibus opprimi in interitum ejus, & exemplum, ac terrorem aliorum, ut diſcant homines profani reverentius ſentire, & loqui de rebus divinis, & Eccleſiaſticis. *ibidem cap.* 54.

DELRIUS ex Petro *Cluniac. l.* 1. *Mirac. c.* 28. refert pœnam multiplicem, quam milites poſt obitum perpeſſi ſunt, qui manus ab expilatione templorum non abſtinuerant, in gratia tamen (confeſſi) deceſſerant, & culpam ſacramento pœnitentiæ deleverant. *Delr. diſq. mag. l.* 3. *p.* 1. *q.* 8. *ſ.* 1. Quia primarius quidam Judex urbis Romanæ chlamydem Ottonis III. Imperatoris, oblatam ab ipſo monaſterio SS. Bonifacii, & Alexii ponendam ſuper altare, ſibi vindicavit, & quaſi proprium theſaurum ſervandum in capſam retruſit, permiſſu Dei cacodæmon ipſum ex equo dejectum paralytica infirmitate attrivit, ut fieret exanguis, ac penè exanimis. Nec potuit ſanitati reſtitui, donec veſtem Sanctis reſtitueret, audiverat enim ab ipſis Sanctis Bonifacio, & Alexio, Putaſne te ſanum noſtra veſte uti nobis expoliatis? & è lecto iſto valens non ſurges, priuſquam veſte mea, pro qua percuſſus es, induar, &c. *Prolixè hæc Baron. Anno Chr.* 1001. *ex codice Caſſinate.*

Quia anno Chriſti 1008. Judæorum perfidia curata eſt demolitio templi Hieroſolymitani per principem Babylonis, communi omnium Chriſtianorum conſenſu decretum eſt, ut omnes Judæi ab illorum terris, vel civitatibus funditus pellerentur, &c. alii gladiis trucidarentur, alii fluminibus necarentur, &c. Qui litteras Judæorum tulit ad principem Babylonis, combuſtus eſt. *Glaber l.* 3. *c.* 7.

Baron. refert ex Leone Oſtienſi, quomodo *an Chriſti* 1038. Sacrilegus extendens manus ad altare, ut vaſa, & ornamenta ſacra auferret, ſubitò epilepſi, & paralyſi correptus ſit, & diſtorto ore, atque oculo uſque ad obitum perſtiterit: item quomodo tyrannus Pandulphus ab eo, qui aufert ſpiritum Principum, ex hac vita divulſus ad ſupernum tribunal reus ad ſententiam accipiendam vocatus (quam meruit ob ſacrilegium) ad pœnam æternam ſit condemnatus.

Denique quomodo Rudolphus princeps Northmannorum ea die, qua erat monaſterium religioſorum, ut illud ſpoliaret, invaſurus, repentina morte ſubductus ſit, & perpetuò incendio damnatus.

Anno Chriſti 1655. refert ex Petro Damiani, quomodo Comes quidam poſſeſſor rerum Eccleſiæ damnatus ſit ad inferos cum omni poſteritate. Eadem enim pœna teneri ſcribit. Apoſtolus facientes, & facientibus conſentientes, dum quod ſciant hæredes ab Eccleſia eſſe ſublata à majoribus bona, mala fide poſſideant.

Anno Chriſti 1059. narrat, quàm acerbè Deus monaſterii Herveldenſis invaſorem Epiſcopum Halberſtadenſem, quantumlibet pœnitentem, punivèrit, diruptis enim, miſerabili genere morbi, viſceribus, expiravit, dicens ſe ad tribunal Dei abripi, & pro invaſis rebus alienis rationem exigi. Cito quoque Archipresbyter, quo incentore in hanc ſævitiam inarſerat, eodem anno ſubitanea morte ſine confeſſione, ſine ſacra communione interiit, à Diabolo ſuffocatus. Quid ergo erit de principibus, ait hic *Baronius*, bona omnia omnium monaſteriorum Eccleſiarum ſibi authoritate hæreſis vindicantium? An non requiret iſta Deus, qui de verbis ipſis etiam levibus in die judicii non levem quæſtionem habendam eſſe prædixit?

Anno Chriſti 1075. Henricus Spirenſis Epiſcopus cùm jam theſauros Eccleſiæ Spirenſis penè omnes puerili levitate dilapidaſſet, & prædia militibus ſuis in beneficium erogaſſet, tempore Henrici III. Imperatoris inopinata morte ſubtractus eſt: cùm enim ad veſpertinam Synaxim cum fratribus in choro ſtaret, ſenſit repentè parvulam ſibi inſtar puncti puſtulam in collo excreſcere, qua paulatim in immenſum intumeſcente ante mediam noctem defunctus eſt. *Lambert. Schaf.*

Anno Chriſti 1130. Cùm Anacletus contra virum ſanctiſſimum Innocentium in Romanum Pontificatum intruderetur, & Romæ immania ſacrilegia à ſchiſmaticis perpetrarentur, calices (ait Bernardus Abbas Bonævallis) frangere, & crucifixos aureos membratim dividere ipſi profani Chriſtiani vel timerent, vel erubeſcerent, Judæos ajunt eſſe quæſitos, qui ſacra vaſa, & imagines Deo dicatas audacter comminuerent, in ultionem admiſſi ſceleris hoc ipſo anno ſumma annonæ penuria laboraſſe Romanos, acta Innocentii teſtantur. Injuſtè hanc paſſi ſunt ultionem, qui Chriſtum in imaginibus dederunt in manus Judæorum dilacerandum, ac conſcindendum Pſeudopapa Anacletus anno Chriſti 1138. Deo vindice, ex hac vita divulſus ad ſupernum horrificum tribunal judicandus, atque condemnandus adductus eſt, accepturus cruciatum æternum.

Anno Chriſti 1136. Cùm Rogerius Rex Siciliæ ad occupandum, jurique ſuo ſubiiciendum monaſterium Caſſinenſe adiiceret animum, licèt Deus offenſus eſſet à monachorum ducibus, prudentia, quæ de terra eſt, rem agentibus, tamen attendens preces humilium, ac innocentium monachorum, & provocatus ſuperbia novi Sennacherib, in ejus ultionem exurgens percuſſit eum morte, & perpetuis inferni cruciatibus condemnavit, antequam autem hoc fieret, cùm Cancellarius Rogerii Notario ſuo juberet, ut per omne Rogerii regnum ſcriberet, ut ad capiendum monaſterium cuncti convenirent, & Notarius hoc implere ſatageret, ſubita morte defungitur Notarius. Cancellarius verò poſt paucos dies moriens clamabat: Benedicte, & Maure, cur me occiditis? iſta crebro repetens vita exceſſit, & ad inferos deſcendit. Tertiò poſteà die Abbas ſchiſmaticus mortuus, ad tribunal Dei vocatus eſt. Quam ſententiam tulerit, collige ex hoc dicto SS Patrum: qui in terris non novis Eccleſiam Catholicam matrem, nec in cœlis cognoſcere poteſt Patrem, & qui cum Catholicis hic non communicavit, nec ibi cum Deo, & Sanctis ejus communicandi ullatenus facultatem habebit. *Pet. Diac. Chron. Caſſ. lib.* 4. *cap.* 103.

Circa annum Domini 963. Pelagius Comitis Roderici Velaſquii filius, ex Lucenſi familia factus eſt Compoſtellanus Epiſcopus, qui cum ſeculari potentia, & natalium fretus multa gereret officio ſuo indigna, & majores, ac ſeniores honoribus moveret, ac deprimeret, juniores, atque indignos ſublimare, à Veremundo, quem Galleciæ proceres Ordonio infenſi Regem ſibi conſtituerant, Epiſcopatu pulſus eſt, atque in illius locum ſubrogatus Petrus à Monſorio Abbate, quod ante altaria vocabatur à B. Suſvando conſtitutum. Hic Epiſcopus tanta vitæ ſanctitate, tam religioſis moribus præluxit omnibus, ut Veremundus ejus virtutibus commotus, Compoſtellanæ Eccleſiæ quidquid aliorum Epiſcoporum temporibus amiſerat, præceperit reſtitui. Intereà *Rodericus Velaſquius* pater Pelagii Epiſcopi cum cæteris conſulibus hujus provinciæ, Saracenos cum duce eorum Almanzore in Galleciam evocarunt; Qui Compoſtellanum profecti majorem partem parietis Eccleſiæ S. Jacobi diruerunt, intacto tamen ſacratiſſimo ejus altari. Cæterùm Apoſtolus, ne ſe tantum ſcelus inultum abſtuliſſe gloriaretur, tanto eos dyſenteriæ morbo percuſſit, ut plurimis morbo conſumptis, pauci in patriam reduces fuerint. Almanzor ubi tantam ſuorum vidit cladem, ſuos dici-

dicitur conſuluiſſe, quiſnam ille eſſet internecionis author. A Qui reſponderunt, unum ex diſcipulis filii Mariæ Virginis ibi ſepultum. Quo ille audito, pœnitentia rerum geſtarum ductus fugam, quàm maximè potuit, acceleravit. Sed in itinere repentino correptus morbo, apud Medinam cæli, ubi ſepultus eſt, animam in ſinum Mahometis infeliciter tradidit. Rex continuò pietate motus Compoſtellam venit, & Eccleſiam Apoſtoli dirutam. Petro Epiſcopo adjuvante reſtauravit. *Joan. Vaſæus in chron. Hiſp. an. 953. Michael Rit. Neapol. l. 2. de regibus Hiſp.*

Anno Domini 429. Gundericus Rex Vandalorum capta Hiſpali cùm impiè elatus manus in Eccleſiam ipſius civitatis extendiſſet, mox Dei judicio à dæmone correptus, interiit: Cui Genſericus frater in regno ſuccedens, regnavit annis quadraginta octo. Hic, ut fertur, de fide Catholica in Arrianam ſectam apoſtatavit. *Chron. Sigibert. 4. 9.*

Quid prætereà Chilperici Regis furore graſſantis tempore acciderit Militibus, qui Baſilicam S. Vincentii martyris in regione ea poſitam invaſerunt, audi eundem Gregorium iſta narrantem his verbis. Tempore autem illo, quo contra Gun- B dibaldum commotus exercitus ad Convenienſem urbem directus eſt, ab hujus hoſtilitatis multitudine baſilica S. Vincentii martyris vallatur tota: etenim in ea plebs omnia rerum ſuarum præſidia confidens de reverentia martyris, quòd nullus ea præſumptione temeraria auderet attingere; & obſeratis oſtiis ſe ab intus cum rebus incluſerat. Circumdantes autem hoſtes, cum aditum, per quem ingrederentur, invenire non poſſent, ignem oſtiis ædis ſubiiciunt: quem diù, multùmque ſuccendentes, non apprehendebant valvæ, donec impulſu ſecurium comminutis, ingreſſi ſunt, diripientes res, populum incluſum in hocce gladiis trucidantes. Sed non diù hæc remanſerunt inulta: nam alii à dæmone correpti, nonnulli in flumine Garunnæ necati, multi etiam à frigore occupati diverſis in partibus diverſorum morborum genere vexabantur. Nam vidi ex iis multos in Turonico territorio, qui in hoc fuerant mixti ſcelere, graviter cruciari, & uſque ad vitæ præſentis amiſſionem intolerabilium dolorum cruciatu torqueri. Multi enim ex his confitebantur, ſe judicio Dei ob injuriam martyris fuiſſe morti peſſimæ deſtinatos. Ecce quantum Deus præſtet martyribus ſuis. Ecce qualibus eoſdem laudibus Chriſtus C Dominus bellorum fidelium inſpector honorat: Ecce quantum præſtat ipſius nominis dignitas Chriſtiani, ſi non Gentilium more aut inhiemus cupiditati, aut luxuriæ ſerviamus. *Greg. l. 1. de gloria martyr. c. 105. & Baron. c. 7. Annal.*

Aretas Cæſarienſis Archiepiſcopus dum ait de pravorum hominum conſuetudine, teſtatur, Alexandrum Imper. ob divinitatis, & locorum ſacrorum contemptum ita Dei ſic confectum. Cætera quidem, inquit, videor mihi miſſa facturus quæcunque contumelioſus ille in ſanctos viros effecit; eaque commemorabo tantùmmodo, unde pulcherrimè exiſtimo, me morum ejus perverſitatem declaraturum. Mos erat regibus Chriſtianorum, qui idem illis communi eſt cum omnibus Chriſtianis, ut quotieſcùmque Dei baſilicas ingrediuntur, aperto eas capite ingrediantur, quem quidem Paulus ipſe Apoſtolus primus induxit, atque omnibus in Chriſtiana Republica obſervandum mandavit. Hunc morem cum ſapientiſſimi, videlicet illi familiares Alexandri, atque optimi viri ſuſtuliſſent, perſuaſerunt homini, Alexandro ſcilicet craſſæ cutis, ac de ſuillo genere tantùm non grunnienti (cui enim, quæſo, æquius comparari ille poterat, quam ſui Bœoticæ) ut cooperto capite in loca ſacroſancta ingrederetur. Quam quidem diſciplinam ille cùm admiſiſſet, atque ad majora etiamnum D perdiſcenda facinora ſe paratum præberet, nimirum pulchrè ille quoque conſecutus eſt caſus. Etenim ubi hominem ſic perſuaſum illum introduxere, & violaret coloris amictum, tectum ſacræ menſæ dimoveret, magno ſuo dedecore, confeſtim ille poſt facinus iſtud tam audax, mente captus eſt, nec ex ea die in poteſtate ſua ampliùs fuit. Nam & audaciſſimum, non tamen omni ex parte reprehendendum facinus majori mox ac pernicioſiori alio cumulavit. Cùm enim ſtatuis iis, quæ Hippodromo ſunt, ſolitum Baccho ſacrificium fieri feciſſet, ſanè meritam ejus rei mercedem illicò reportavit. Siquidem is nondum peractis ſacrilegiis, miſerabiliter ſublimis intra cubiculum ſuum eſt aſportatus. Caſu nihilo mitiore, quàm fuit ille Herodis, qui cùm Jacobum Zebedæi filium in gratiam eorum, qui Chriſtum occiderant, intremiſſet, ac Petrum ipſum Apoſtolorum principem ſimili modo fuiſſet adortus, meritum ipſe quoque facinoris ſui præmium eſt conſecutus; quippe qui in maxima, quæ ad diem ſolemnem hominum frequentia convenerat, regio ſatellitum comitatu ſubnixus, ſummo cruciatu, ſcatentibus undique ejus corpore vermibus, deceſſit è vita. Graviter, fœdèque illius corpus fœ- E tebat, prætereà mirandum in modum intumuerat: acceditque, neque ſolita viris piis poſt mortem adhiberi exequiarum juſta ei perſoluta fuere: neque regia exhibita à magiſtratibus pompa, præter pauciſſimos quoſdam, eoſdemque contemptiſſimos, qui cuilibet etiam de vulgo ſolitum officium præſtituri fuiſſent. Quid verò ejus conſilii primarii auctores, maximèque illa circumcirca neſarium caput palpitans cauda? Aliorum jam exitum videmus, quorum memoria cum ſonitu periit. Aliis etiam ex propinquo jam imminere videmus. *Extat apud Aloyſ. t. 3. & Baro. tom. 10. an. 612.*

Cùm Philippus Galliæ Rex bello in Petrum Regem Aragonum moto Gerundam cepiſſet; ejus milites, qua erant inſolentia, vi templis illata, ſancti quoque Narciſſi, patroni, & tutoris illius urbis, ſepulchrum diripuerunt: ſed inde egreſſæ muſcarum inaudita forma, & magnitudine examina, & magno impetu in multitudinem involantes ſic terruerunt, & acutis, ac venenatis morſibus vulneraverunt, ut intra paucos dies hominum plus quadraginta, & equorum plus viginti quatuor millia ea peſtis abſumpſerit. Quin etiam Petrus ipſe Arago- F num Rex, in epiſtola ad Sanchium Caſtellæ Regem data ſcribit, equos ad quadraginta millia periiſſe. Neque multò poſt Rex ipſe Galliæ mortuus eſt Perpiniani. Ex hoc triſti eventu abierunt in proverbium: *Muſcæ S. Nariſſi*, ut ſuis in Martyrologium annotationibus obſervavit Cæſar Baronius. *Hieronym. Sur. lib. 4. de rebus Hiſp. c. 69. apud Ribad. lib. 1. de Princ. c. 7.*

Anno decimo octavo Imperii Mauritii, Cajanus cum barbaro exercitu ſuo Diriziperam venientes, civitatem depopulati ſunt, & S. Alexandri martyris Eccleſiam incenderunt, ſepulcrumque illius. Sed & injuriis quoque martyris corpus afficiunt multamque in Thrace prædam capientes, epulabantur ſplendidè, contra Romanos elati. Deus autem vindictam martyris faciens Alexandri, peſtilentiam languoris barbaris intulit, & in uno die ſeptem filios Cajani per febrim, & inguinariam paſſionem occidit, unà cum aliis turpibus mulctis, ita ut poſt triumphale gaudium cum carminibus, & canticis, lamentationes, lachrymæ, & luctus ſine conſolatione poſſideret barbaros. *Europ. lib. 1. rerum Rom. Niceph. Coll. lib. 18. cap. 28.* G

Redemptoris anno 916. indictione quarta, Ungaris ſive Hunnis Saxonum Eccleſiam devaſtantibus, inter alias Bremenſem comburentibus, divina ſunt oſtenſa adversùs incenſores prodigia, cùm Hogero ſucceſſiſſet Reginuardus, cujus tempore hæc contigiſſent, Adam ſic enarrat: in diebus illis grande miraculum fertur à poſteris Bremæ contigiſſe Ungaros ſcilicet incenſis Eccleſiis, ſacerdotes ante altaria trucidaſſe: Clerum vulgò mixtum, aut impunè occiſos, aut ductos in captivitatem. Tunc etiam cruces à paganis truncatæ ludibrio habitæ, cujus ſigna furoris uſque ad noſtram ætatem duraverunt. Sed Deus zelotes, cujus paſſio ibi deriſa eſt, incredulos abire non paſſus eſt inultos. Nam ſubitò & mirabilis orta tempeſtas a ſemicremis Eccleſiæ tectis ſcindulas elevavit, quas in facies, atque ora paganorum rotans, dum fugæ præſidium quærunt, aut in fluvium præcipitari compulit, aut in manus civium concluſit. *Ex Adamo hiſt. cap. 46. Baron. Tom. 10. Annal. ad an. Chriſti 916.*

Amalaphus tyrannus in Anglia cùm adeò invaluiſſet, ut ejus regni partem dimidiam poſſideret, alteram Eadmundus legitimus Rex teneret: ubi aggreſſus eſt incendio tradere Eccleſiam ſancti Balteri, mox numine vindice, repentina morte percutitur: ſicque abſque armis factum, ut univerſa Angliæ H monarchia pius Rex potiretur Eadmundus. *Mat. VVeſt-monaſt. apud Baron. Tom. 10. an. 95. 1. 3.*

Anno Domini 1087. Guillielmus I. Rex Angliæ in regnum Franciæ graſſatus in odium Philippi Regis, non pepercit Eccleſiis, quæ repertæ ſunt in Madantenſium civitate, quam incendio concremavit. Quo facto mox offenſum numen ſenſit ultorem, illum acerbiſſimò dolore ad obitum uſque conficiens. Verùm ſapiens heros in futurum ſibi, multiſque commoda facere non diſtulit, omneſque theſauros ſuos Eccleſiis, & pauperibus, Deique miniſtris diſtribui præcepit: nam Clero Madantenſi ſupplex ingentia dona miſit, ut inde reſtaurarentur Eccleſiæ, quas conbuſſerat. Et licèt pœnitenti Regi Deus; ut piè credendum eſt, culpam peccatorum dimiſerit, pœnam tamen eſt proſecutus, & in ipſum, & in filios, & nepotem, peccati iſtius, de quo ſic Vvillielmus: Locus eſt, inquit, quem Gulielmus pater, hic de quo agimus, deſertis villis, ſubrutis Eccleſiis per triginta, & eo amplius

ampliùs milliaria in ſaltus, & luſtra ferarum redegerat, inſan- A do prorſus ſpectaculo, ut ubi ante vel humana converſatio, vel divina veneratio fervebat, nunc ibi cervi, & capreoli, & cæteræ illud genus beſtiæ petulanter diſcurſitent, nec illæ quidem mortalium uſibus communiter expoſitæ. Cujus rei cauſa, patre adhuc vivente, Richardus filius dum cervos ibi venaretur, ex tabido aere morbum incurrit, quo & defunctus eſt: poſt obitum verò ipſius Regis, in eadem ſylva Uvilhelmus Filius, & nepos ſevero Dei judicio, ille ſagitta pectus, iſte collum trajectus, vel ut quidam dicunt, arboris ramuſculo, equo pertranſeunte, fauces appenſus. *Baron. tom. 11. an. 1087. ex Vvillielmo Bibliothecario.*

Idipſum alio exemplo ab ipſis naſcentis Chriſti Eccleſiæ initiis manifeſtum faciemus: Erat Archippus Apoſtolorum diſcipulus vitam degens in Chereſopa in Chonenſi Aſiæ regione: viri ſanctitatem exoſa Gens incredula non modò templum, quod ille ſacroſanctis ſacrificiis, myſteriiſque frequentabat, demoliri conſtituerat, ſed fontem templo proximum, cujus aquis ille omnia morborum genera curare conſueverat alterius cujuſdam profani fluvii aquis obruere ſatagebat; ut & templi, & ſacri fontis memoria aboleretur: de derivando igitur fluvio Chryſo in utrumque locum conſuluerunt, defoſſoque ingenti B alveo, ut ejus ductu fluvius in templum, ac fontem irrumpens omnia perderet; ſed contra actum eſt, nulla loci pronitate is Chryſus fluvius unquam adduci potuit, ut in ſacrum illum locum irrumperet: quin potiùs in contrariam partem erupit, longiſſimè ab utroque profluens. *Ex Simeone Meta. Lipoman. t. 6. 5. Septembr.*

Anno Redemptoris 1084. Roma pòſt obſidionem triennalem ab Henrico Rege diverſis modis tentata, tandem capitur non ferro, ſed auro: Henricus autem ad ſuum, ſuorumque præſidium munivit montem Aventinum. Accidit dum ipſe unà cum ſuis ibi ſe contineret, ibique poſitus frequentare ſoleret Eccleſiam S. Mariæ, in qua oraret. Cuidam ignoto homini parandi necem ipſi, ex loci opportunitate occaſionem datam fuiſſe, nempe, ut prægrande ſaxum pararet, quod ſuper caput Imperatoris deorſum mitteret. Sed quod Deo ſemper inviſum, ac deteſtabile fuit, cujuſcumque ſanguine quantumlibet noxio Eccleſias inquinari, ſceleri minimè favit, ſed extitit ultor, effecitque, ut qui ſaxum pararet, unà cum ſaxo deorſum cadens occumberet. Quem in gratiam Regis populus per devia tractum in fruſta diſcerpſit. *Baron. Annal. t. 11. An. 1084. 3. 4.*

Anno Domini 1144. flagrante bello civili in Eccleſia An- C glicana, divina ultio adversùs profanatores Eccleſiarum multipliciter eſt demonſtrata. Res tunc geſtas ſic narrat *Roger.* Menſe autem Auguſti miraculum juſtitia ſua dignum virtus divina monſtravit. Duos namque, qui monachis evulſis Eccleſias Dei converterant in caſtella, ſimiliter peccantes ſimili pœna mulctavit. Robertus namque Marmium vir bellicoſus hoc in Eccleſia de Conventre perverſus egerat. Porrò Gaufredus in Eccleſia Rameſienſi ſcelus idem patraverat. Inſurgens igitur Robertus Marmium in hoſtes, inter ingentes ſuorum cuneos coram ipſo monaſterio ſolus interfectus eſt, & excommunicatus morte perenni depaſcitur. Similiter Gaufredus Conſul novus inter acies ſuorum confertas à quodam pedite viliſſimo ſolus ſagitta percuſſus eſt: & ipſe quidem vulnus videns, poſt aliquot dies tamen ex ipſo vulnere excommunicatus occubuit. Ecce Dei laudabilis, & omnibus ſæculis prædicanda ejuſdem ſceleris eadem vindicta. Dum autem Eccleſia illa pro caſtello teneretur, ebullivit ſanguis à parietibus Eccleſiæ, & clauſtri adjacentis, qui indignationem divinam manifeſtavit, ſceleratorum exterminationem denuntians. Quod D multi quidem viderant, & ego ipſe quidem meis oculis inſpexi. Quia igitur improbi dicebant Deum dormire, excitatus eſt Deus, & in hoc ſigno, & in ſignificato. Eodem quippe anno & Arnulphus filius Gaufredi Conſulis, qui poſt mortem patris Eccleſiam incaſtellatam retinebat, captus eſt, & per hoc exulatus: & princeps militum ſuorum in hoſpitio ſuo ab equo corruens, effuſo cerebro expiravit. Princeps autem peditum ſuorum Reimerus nomine, cujus officium fuerat frangere Eccleſias, vel incendere, dum mare, cum uxore ſua tranſiret, ut multi perhibuerunt, navis immobilis facta eſt. Quod monſtrum nautis ſtupentibus, ſorte data rei cauſam inquirentibus, res cecidit ſuper Reimerium. Quod cùm ille nimirum totis contradiceret viribus, ſecundò, & tertiò ſors jacta in eum devenit. Poſitus igitur in ſcapha eſt, & uxor ejus, & pecunia ſcelertiaſſimè acquiſita: & ſtatim navis curſu velociſſimo, ut priùs fecerat, mare ſulcat. Scapha verò, cum nequiſſimis ſubita voragine circumducta in æternum abſorpta eſt. *Ex Annal. Rogerii Baron. tom. 12. ad Ann. 1144. 9. 10.*

Cùm Arnulphus Imp. omnia ſacrilegiis, & nefandis facinoribus impleret (*ut Luithprandus teſtatur l. 1. c. 9.*) obiit morbo pe- E diculari miſerabiliter abſumptus anno 899.

Quia Alphonſus VII. Caſtellæ Rex templa donis ſuis, & ornamentis ſpoliabat, atque adeò ipſis Eccleſiis pro ſtabulis utebatur, dum Fragum oppugnat, ab hoſtibus de improviſo occiditur. Incertum quo fuerit corpus ejus aſportatum, nunquam poſteà viſum, creditur à dæmone ad inferos abreptum. *Rodericus Tolet. l. 7. c. 3. & c. Santius par. 3. c. 30. Tarapha.*

Petrus Aragoniæ Rex Aragonenſis Eccleſiæ bona invaſit, ob id à procuratoribus, cùm nollet diù monitus reſipiſcere, ad tribunal Chriſti die dicta vocatus ad cauſam dicendam, & diè dicta (cum rideret ad hujuſmodi minas, ac benè alioquin valeret) vita migravit. *Vaſæus c. 20.*

Michael ab Iſſelt. lib. 3. bell. Colonienſis refert anno 1584. 16. Octob. Eos, qui celeberrimum, & antiquiſſimum monaſterium Tuitienſe, & præter hoc alia quamplurima templa igne depopulati erant in ſacello quodam igne eſſe aſſumptos.

Nec eſt, quod tantopere miremur ſuperiora vindictæ divinæ adversùs templorum, rerumque ſuo cultui dicatarum everſores, cùm etiam Ethnici Deorum ſuorum delubra, aras, ſtatuas tanto honore, & reverentia ſint proſecuti, ut earumdem profanatores, direptoreſve, etiam in poſteris pœnas luere exi- F ſtimaverint. Pro quo unicum *Horatii* teſtimonium adduco ita ſcribentis.

Delicta majorum immeritus lues
Romanus, donec Templa refecere,
Ædeſque labentes Deorum,
Et fœda nigro ſimulacra fumo.

* Templorum Immunitas.

Inter privilegia religionis in favorem divini cultus introducta, illud non minimum putandum, quod omnes Nationes cujuſcumque ſectæ, aut religionis, tantùm tribuerint numini ſupremo, & Deo, ut ad ſuam tutelam confugientes, & ſupplices, inviolabiles, & à vi immunes conſervarint: & eos, qui violaſſent, dignos ira Dei, & pœnis arbitrati fuerint.

* Apud Judæos.

Juſſit Deus ſeparari urbes refugii, tam filiis Iſrael, quàm advenis, atque peregrinis, ut confugeret ad eas, qui nolens ſanguinem fudiſſet: in quibus, cùm fuiſſet profugus, cognati G occiſi non poſſent eum occidere, donec ſtaret in conſpectu multitudinis, & cauſa ejus judicaretur. *Levit. 35. verſ. 10. & ſeqq. Deut. c. 19. 2. Joſue 20. 2.*

Numen etiam ſeu Dei reverentia, faciebat confugientes ad aram templi tutos regulariter, ut ibi necari non poſſent: ut prohibuit Sacerdos Jojada Athaliam occidi in templo Domini. *4. Reg. 11. verſ. 25.*

Salomon in dedicatione templi, inter cætera, quæ rogabat Dominum, ſic ait 3. *Reg. 8. v. 33.* Si fugerit populus tuus Iſrael inimicos ſuos (quia peccaturus eſt tibi) & agentes pœnitentiam, & confitentes nomini tuo venerint, & ornaverint, & deprecati te fuerint in domo hac, exaudi in cœlo, & dimitte peccatum populi tui Iſrael, & reduces eos in terram, quam dediſti patribus eorum.

Matth. c. 23. v. 35. exprobravit Chriſtus Judæis homicidium Zachariæ filii Barachiæ, quem occiderant inter templum, & altare, cujus vindictam in illis futuram prædixit, ultra vindictam quæ ſumpta erat de rege Joa, & populo, à quibus ita necatus eſt. *2. Paralip. c. 22. v. 22.* H

Demetrius Rex ad Judæos ſcribens: Quicumque, inquit, confugerint in templum, quod eſt Hieroſolymis, & in omnibus finibus ejus, obnoxii regi in omni negotio dimittantur: & univerſa quæ ſunt eis in regno meo, libera habeant. *1. Mach. cap. 10.*

* Ethnicos.

Multa de templis, & aſylis Ethnicorum dicta ſunt, in loco propio de Aſylo, quæ huc transferri poterunt. Quibus addimus Aſyla olim templa dicta, *ut apud Livium. l. 35.* [ea religione, & eo jure ſancto, quo ſunt templa, quæ Aſyla Græci vocant.] Aſylum ſacros terminos, quibus ſervis eſſet ſecuritas, dixit *Julius Pollux. l. 2. Onomaſt. c. 10.* Idque innuit *Eurip. in Supplic. Act. 1.*

ἔχει γὰρ καταφυγὴν θὴρ μὲν πέτραν:
δοῦλοι δὲ βωμοὺς, πόλις δὲ πρὸς πόλιν
ἔπτηξε χειμανθεῖσα.

Id eſt, *Habent confugium feræ quidem ad petram:*

Servi autem ad aras Deorum, Idolorum: Civitas autem
A *Ad civitatem confugit*
Tempeſtate exagitata.

Et in templa confugientes, venia,& miſeratione dignos docet *Virgilius l.1. Æneid.* dum ait:

——cunctis nam lecti navibus ibant
Orantes veniam, & templum clamore petebant.

Ita & ſupplices orantes aras tenebant, ut innuit *idem 6. Æneid.* dicens:

Talibus orabat dictis, araſque tenebat.

Erant templa ejus venerationis, ut quod eò illatum eſſet, violari nefas eſſet.

Cæterùm Aſyli privilegium apud Ethnicos, quod quis extrahi indè non poſſet, non omnibus templis conceſſum fuit: ſed aliquibus tantùm, quibus conſecrationis lege irrogatum fuiſſet. Quod elici poteſt ex Cornelio Tacito, dum ſcribit, ſub Tiberio Cæſare increbuiſſe Græcas per urbes licentiam, atque impunitatem aſyla conſtituendi, quod complerentur templa peſſimis ſervitiorum, & eodem ſubſidio obærati adverſùm creditores, ſuſpectique capitalium criminum receptabantur, nec ullum ſatis validum imperium erat coercendis ſeditionibus populi, flagitia hominum, ut cæremonias Deum protegentis, & ideò placitum, ut B civitates mitterent jura, & legatos, &c. *Tacit. lib.3. Annal. Suetonius in Tiber.c.37.* addit, Tiberium aboleviſſe omne jus moremque aſylorum, quæ uſquam erant.

Conſervabant autem omni ſtudio poſteri hoc jus, & inter ſacrilegos enumerabant, qui ab aris ſupplices,& ad Dei tutelam fugientes dimovebant, & in eos graviter animadvertebant. Sic Athenienſes cives condemnarunt ultimo ſupplicio, qui Cytonis ſocios, & miniſtros, qui per tyrannidem occupare arcem tentaſſent, ad aram Minervæ factos ſupplices occidiſſent, ut refert *Thucydides in 1. & Plut. in Solone.*

Quin & apud Senatum Syracuſiorum aliquando obtinuit, *teſte Diodoro Siculo lib. 11. Bibliot.* in judicio Ducetii Siciliæ patriæ proditoris, & crimini majeſtatis rei ad aras ſupplicis, inviolatam religionem in eo eſſe, ſalvumque fore debere, quia Dei potiùs eſſet cauſa, ad cujus aram eſſet ſupplex: quamvis cum hoſtibus nulla ſit divini juris, ſacrorum, religionumque ſocietas, & inter eos omnia ſint profana, ſiquidem capta ab hoſtibus profana ſunt.

Templum Palladis aſylum erat: Unde nec Pauſaniam auſi ſunt Lacedæmonii abducere vi, & militibus ibi cinctus fame necatus eſt, ut ait *Thucydides in 1. & Diod. Siculus l.11.* qui C ſubdit, & numen idcirco iratum fuiſſe, quod contra fas ſupplex mortuus fuiſſet. Atque Lacedæmonas, cum Delphos Apollinem conſulturi miſiſſent, reſponſum accepiſſe ſupplicem reſtituere oportere: atque ideò duas ſtatuas æreas Pauſaniæ extruxiſſe in templo Palladis, conſilio diù agitato.

Alcibiad. in Sicilia abſens, Athenis reus factus quia ſacra violaſſet, & capitis damnatus bonis publicatis, etſi plebiſcito poſteà fuerit reſtitutus. *Æmilius Probus in Alcibiade.*

Pauſan. in Attic. in 1. ſcribit, Syllam Romanum phthiriaſi, ſive morbo pediculari interiiſſe, quòd Ariſtionem ex Minervæ fano extractum trucidaſſet.

Qui Tyriis deſerendam civitatem, ut Deo admonente prędixerat, cum Eum populus occidere vellet, ad templum fugiens morte liberatus eſt. *Diod. Sicul. l.17. Biblot. an.4. Alex.*

Templum ad Palicem tutiſſimum præſtabat confugientibus aſylum. *Idem l.11.*

Lacedæmonii quoque templum velut aſylum venerabantur, & in quo nocentes omnes, etiam capite damnati, ſalvi eſſe D conſueverant, *teſte Polybio l.4. hiſtor.*

Diogenites Mileſiorum Dux, auſus non eſt violare Policritam Naxiam, ex hoſtibus in templo repertam οὐ γὰρ δή γε, inquit, *Parthenius in Erot. cap.9.* θεμιστὸν ἦν ἱκέτιν ἐν τῷ ἱερῷ βιάζεσθαι, id eſt, Non enim fas erat ſupplicem in templo violare.

Fuit aſylum delubrum Jovis in Tamio apud Tragnios, qui habitant Pontum, & Cappadociam verſus. *Strabo. l.12.*

Item Epheſi Dianæ. *Idem l.15.* In Ægypto ad oſtium Nili, quod vocatur Canopum, in cujus littore erat Herculis templum, ad quod ſi quis cujuſcumque hominis ſervus confugiens caperet ſacras notas, ſeſe Deo tradens, nefas erat tangere. *Hero. l.2. in Euterpe.*

Gothi ea pietate fuerunt, ut nullos omnino violarent, qui ſecuritatem à templis Deo dicatis invocarent. *Joan. Magnus l.22. hiſtor. Gotth. c.21. & 22.*

Eſt ſanctio inter cæremoniales Flaminis Dialis, vinctum ſi ædes Flaminis introiiſſet, ſolvi neceſſum eſſe & vincula, per impluvium in tegulas ſubduci atque indè in viam foras dimitti. *Aul. Gell. l.10. c.15.* E

* CHRISTIANOS.

De Chriſtianorum templorum immunitate, & aſylo multa etiam diximus loco allegato, & conſtat ex Jure communi confugientes ad Eccleſias, invitos indè extrahi non poſſe. Refert *Suidas.* Eutropium, Arcadii Imperat. Cubicularium omnis generis facinoribus plenum, cùm vellet etiam eos, qui ad templa confugiſſent, comprehendere, legem promulgaſſe, qua concederet etiam eos, vel ab aris extrahi. Sed ea lege vix promulgata, eum ultionem crudelitatis fuiſſe, conſecutum: non enim multò pòſt Imperatore offenſo, in templum fugit ſub altari jacens, indè abſtractus noctu capite truncatus fuit. Quod & *Niceph. Caliſt. l.13 c.4.*

Theod. & Valent. *l. pateant 4. de iis qui ad Eccleſ. confug. l. 9. C. Theod. tit.45.* legem hanc immunitatis Eccleſię conſtitutione firmarunt, atque pro aſylo omnia, quæ Eccleſiæ continet, uſque ad extremas fores Eccleſiæ conſtituerunt fugientibus eò ſine armis. Statuta & pœna, ut qui propria authoritate confugientem avulſerit, extraxeritve, verberibus affectus, raſuſque relegetur. Cujus meminit *Sur. tit.9. Conſtant. Harmen. l.2. Prompt. Juris tit.9.* F

D. AUGUSTINUS *ad Bonifacium Can. miror. 17. q.4.* eum, qui hominem ad Eccleſiam fugitivum rapuerat, punię primùm, ne ejus oblationes à Clericis ſuſciperentur, dehinc communione interdicit, donec pœnitentiam egiſſet.

GELASIUS Pp. *c. frater, ead. q.* reo ejuſdem criminis Eccleſiarum omnium inhibet ingreſſum: ex Concilio Hilerdenſi *can. nullus Clericorum, ead. 17. q.4.*

Concil. Toletanun. XII. *c. definivit, ead. q.* aſylum Eccleſiæ extrà Eccleſiam etiam conſtituit intra 30. paſſus, utque non indè extrahantur ſervi confugientes à dominis, niſi præſtita cautione, quòd eis injuriam non inferent ob eam cauſam. Quod & aliorum aliis conſtitutionibus cavetur, *c. metuentes ca. d. conſtituinus, 17. q.4. l. fi. ſ. de iis qui ad Eccl. confug.*

EDOARD. II. Angelorum rex, legem ſancivit, quæ hodie ſervatur, ut quoties quis delicti reus ad templum confugeret, in perpetuum exilium eat intra quadraginta dies, & 12. horas (eo enim ſpatio temporis ſe æſtus Oceani ex alto incitat) nec aliam pœnam patitur, excepto quòd uſque ad littus crucem manu geſtat, veluti ſignum ſervatæ per religionem vitæ, *teſte Polydoro Virgilio l.1. Hiſtor. Anglic. in Henric.*

In legibus Longobardorum, & in Capitularibus Caroli Magni, *tit. de iis, quæ ad legem de Clericorum occiſione ſtatuuntur* ſtatuitur his verbis: Si quis ad Eccleſiam confugium fecerit, in G ipſo atrio Eccleſiæ pacem habeat, nec ſit neceſſe Eccleſiam ingredi: & nullus inde per vim eum extrahere præſumat, ſed liceat ibi confiteri, quid fecit, & indè per manus bonorum hominum ad diſcuſſionem in publicum perducatur.

* VIOLATORES PUNITI.

Veterum conſtitutione innoteſcit, quàm ſeverè in violatores hujus immunitatis animadverſum fuerit.

Refert *Niceph. Calliſt. l.14. hiſt. Eccl. c.32.* vindictam divinam in violatores aſyli: Cùm quidam, inquit, Servi ab heris malè tractati ad Eccleſiam confugiſſent, neque hinc evelli poſſent, turbantes Clericos unum Clericum occiderunt, & poſteà ſeipſos: quo tempore cœpit error Neſtorii, quidam poeta mali ominis illud factum iis Jambis prædixit.

σημᾶι κ̓ γὰρ ταῦτα γίγνεσθαι φιλεῖ
ὅταν τραῦσις κατὰ σηκὸν μυσος. *id eſt,* H
Aſſuevit omen ferre triſte ſanctius,
Si fortè templum polluat piaculum.

* EXEMPLA SACRA, & HISTORICA.

NICANOR Deum ſpernens, & jurans ſe templum Domini Libero patri dicaturum, niſi traderetur Judas, qui ibi erat, interficitur. 2. *Macb.* 14. Simile exemplum eſt de Heliodoro *ibid. c.3.*

D. AUGUSTINUS Bonifacium Comitem agentem cum Gothis in Africa Ducem exercitus, quòd confugientem ad Eccleſiam inde abſtrahi juſſiſſet, graviter reprehendit; Miror, inquit, quomodo tam ſubitò fidei murum aries ruperit inimici. Novi enim, qua religione ſemper ſis Eccleſiam Dei veneratus. Quo inſtigante, frater, hominem de Eccleſia rapuiſti? Tuus ſi de tuo amico fortè præſumeret fugitivus; poſſet procul dubio interceſſoris cauſa veniam promereri. Ergo ſi amicus intenditur, cur Deus offenditur? Sed ſi de poteſtate præſumitur, Nabuchodonoſor Regem intende, qui cauſa ſuperbiæ in bovem eſt ex homine commutatus. Non ut confundam te, hæc ſcribo, ſed A ut filium meum cariſſimum moneo, Eccleſiæ igitur illæſum revoca, quem ut irreligioſiſſimus rapuiſti. Oblatio verò domus tuæ à clericis ne ſuſcipiatur indixi, communionemque tibi interdico, donec peracta pro auſibus, vel errore à me definita tibimet pœnitentia, & tempore condonato pro hoc facto, corde contrito, & humiliato dignum offeras ſacrificium Deo, *D. Aug. ep.6. in Ap.*

Anno Domini *606.* & an. Imperii Phocæ quarto, Scholaſticus eunuchus, vir religioſus Palatii, Conſtantinam dominam olim Auguſtam, conjugem Mauritii Imperatoris, cùm tribus filiabus ejus accipiens ad magnam Eccleſiam confugit conſilio Germani Patricii deſiderantis Imperium. Fit igitur ſeditio magna in urbe. Germanus autem Demarcho Praſinorum talentum auri miſit, ut cooperaretur ei: primores autem vulgi id admittere noluerunt. At verò tyrannus in Eccleſiam ad abſtrahendum mulieres deſtinavit. Sanè Patriarcha Cyriacus tunc reſtitit tyranno, minimè paſſus è templo tyrannicè abduci mulieres. Verùm juramentis certo eò reddito, à Phoca, quod non læderet eas, educuntur è templo, & clauduntur in monaſterio. *Ex* B *Theophan. & Cedren. Annal. Baron. t.8. Annal. ad an. Chriſti 606. 3.*

De Ardaburii, & Aſparis, quæ erat in illo tempore potentia, nihil eſt dicendum, neque de crudelitate æquali potentiæ, atque adeò majori (erant ambo Ariani potentiſſimi, utpote longo tempore militiæ præfecturis inſigniti, ipſi quoque Imperatori timendi.) Hic ergo qui adeò potens erat, & crudelis Ardaburius iraſcebatur cuidam ex iis, qui erant in ejus poteſtate, nomine Joanni. Ille verò omnibus aliis, atque adeò ipſo Imperatore, prætermiſſis, ut qui non eſſent ſatis potentes, unum novit refugium, Marcelli tabernaculum, ipſum videlicet Accœmetarum cœnobium: & id ſubit, & in eo latet tanquam ſub aliquo toto propugnaculo. Ille autem cùm reſciviſſet, petebat (ad ipſum mittens) hominem ſibi tradi. Cùm verò non obtemperaret, cœpit minari. Cùm Marcellus autem minas non curaret, ei vim attulit; miſſiſque militibus, & qui viribus valebant (erant multi numero) juſſit quærere eum, qui confugerat, & ſi non pareret, uti armis. Atque ille quidem cùm ſic juſſiſſet, eos dimiſit. Illi autem profecti, & verbis, uti juſſi erant, uſi; quoniam non parebat, monaſterium circumſidebant: hæc facta ſunt C veſpere. Magnus verò Marcellus rogavit eos, an vellent manere, & ſe iis dixit alimenta daturum. Cùm autem manſiſſent, ſuppeditavit alimenta, & res ita quidem tranſiit uſque ad veſperam. Cùm autem nox adventaſſet, qui foris quidem erant, enſes jam quatiebant terribiliter: Monachi rem hanc videntes, & audientes, Sanctum circumſiſtentes, pro enſibus eum verbis feriebant: Quid ergo, dicentes, tibi omnes propter unum peribimus? idque morte violenta, & acerba? & tuis filiis erit tibi præferendus externus? Et tibi à fundamentis cum templo peribit monaſterium? Non dimittes, non citò præbebis eum, qui quæritur, qui malis huc pervenit pedibus? Cùm ſic per totam noctem eum & hoſtes, & amici etiam acriter invaderent; tempuſque fruſtra contereretur, & ſupplex non traderetur; manè autem ſtatuiſſent milites uti gladiis, & jam eſſent aggreſſuri: tunc Chriſti athleta ſuam objecit potentiam. Eis verò præter opinionem apparet adverſaria, non phalanx quidem, ſed divina quædam, & cœleſtis potentia in orbem ab igne circumſcripta, & arma inexpugnabilia, nempe D crucis Chriſti imaginem in medio ferens, longè magis refulgentem quàm ignis, qui erat circumcirca. Hæc ergo terribilis potentia, quæ apparuerat, ex ipſo faſtigio monaſterii emittebat gravia tela adverſùm milites, quæ quidem erant ignis fulgura intolerabilia. Quibus cùm non ſolùm non reſiſtere, ſed nec ea quidem contra intueri poſſent: gladios in terram projecerunt, & ipſi ceciderunt, & voces ad Deum placandum accommodas, prout quiſque poterat, emittebant. Quas cùm hi, qui intus erant, ſenſiſſent, canere cœperunt, & fuerunt ipſi quoque teſtes miraculi, quod evenerat præter opinionem. Hoc effecit, ut crudeliſſimus Ardaburius ſuorum morum oblivisceretur: & cauſa fuit, ut præter ſententiam benignus videretur, ira in Joannem remiſſa. Hujus rei occaſione factum putat Baronius, ut Leo Imperator egregiam hanc ſanctionem de immunitate confugientium ad Eccleſiam hoc ipſo anno promulgaverit, ita reſcribens ad Erythreum præfectum Prætorio: Præſenti lege decernimus per omnia loca valitura (excepta hac urbe regia, in qua nos divinitate propria degentes quoties, uſus exegerit, invocari, ſingulis cauſis, atque perſonis præſentanea conſtituta præſtamus) nullos penitus, cujuſcumque conditionis ſint, de ſacroſanctis Eccleſiis Orthodoxæ fidei expelli, aut trahi, vel E protrahi confugas, nec pro his venerabiles Epiſcopos, vel religioſos Oeconomos exigi, quæ ab ipſis debeantur. *Exact. Marcel. Archimandritæ apud Metaph. & Sur. 39. decemb. cap.31.*

Anno *396.* cùm Conſulatus ſui tempore Imperator Honorius in urbe Mediolanenſi Libycarum ferarum exhiberet munus, populo illuc concurrente, datâ copia eſt miſſis militibus à Stilicone Com. hortatu Euſ. Præfecti, ut Creſcomius de Eccleſia raperetur. Quem confugientem ad altare Domini ſanctus Epiſcopus cum clericis, qui in tempore aderant, defendendum circumdedit. Sed multitudo militum, quæ duces ſuos habebat de perfidia Arianorum, prævaluit adverſùs paucos; atque ablato Creſconio, exultantes ad amphitheatrum reverterunt, Eccleſiæ luctum non modicum relinquentes, nam ſacerdos proſtratus ante altare Dei factum diù flevit. Sed in tempore, cùm revertiſſent, & renunciaſſent eis, à quibus fuerant deſtinati milites, dimiſſi leopardi ſaltu celeri ad eundem locum, in quo ſederant, qui de Eccleſia triumphabant, aſcendentes graviter laniatos relinquerunt. Quod ubi vidit tunc Stilico Comes, pœnitentia motus eſt, ita ut per multos dies ſatisfaceret ſacerdoti. Et illæſum quidem illum, qui ablatus fuerat, dimiſerat: ſed & quia graviſſimorum criminum erat reus, F & aliter emendari non poterat, ad exilium deſtinatur, non multò pòſt indulgentia proſequente. *Paulin. in vita S. Ambr. Baronius. t.5. an.306.1.*

Anno Redemptoris 1095. obiit Ladislaus Rex Ungariæ, quem Ungari ſanctum eſſe volunt. Reliquit autem duos fratres Almum, & Colomannum. Almum Regem deſtinat Preſſius, quòd Colomannus ſanguinarius eſſet: Almus tamen jure primogenituræ fratrem præferens Ducatum accepit. Hic Rex factus Almum perſequi ſæpè tentat, ſed illos ſemper Principes conciliaverunt. Tandem confirmata per imperatorem inter eos pace, Rex cepit Ducem Almum, & filium ejus Belam infantulum, & excœcavit eos. Sed & Belam infantulum præcepit caſtrari. Satelles autem timens Deum, catellum caſtravit, & teſticulos ejus Regi præſentavit. Idem Rex plures nobiles excæcavit, poſteà cœpit ægrotare uſque ad mortem, & conſilio habito fecit apprehendi Ducem, ne fortè ſibi ſuccederet etiam cæcus. Præſenſit Almus, profugit in monaſterium, & manu altare comprehendit. Benedictus autem quidam à rege miſſus ſacrilegas manus in eum injecit: & dum conaretur eum extrahere, divulſa eſt manus ducis, & infectum altare ſanguine. Teritus ſacrilegus equum conſcendit G exiens, & in via cadens de equo cervice fracta expiravit, ac à canibus voratus eſt. *Joan. Naucler. vol.3. Chronographiæ gener. 17. an. 105.*

Circa annum Domini milleſimum Veremundus II. Legionis, & Auſturum Rex à ſuſurrone deceptus, præcepit capi Gudeſteum Epiſcopum Ovetenſem; ſed ut tantùm nefas non procederet impunitum, facta eſt ſiccitas magna in terra, ita quòd totus populus ciborum penuria arctabatur: Cùmque quibuſdam fuiſſet à Domino revelatum, famem propter injuriam Epiſcopi accidiſſe, & Regi eſſet revelatio intimata, confeſtim abſolvit Epiſcopum, & per Semenum Aſturicenſem Epiſcopum, cui Rex Epiſcopum commendaverat, fecit reſtitui Gudeſteum, & ſtatim Dominus pluviam voluntariam ſegregavit, & terra attulit fructus ſuos. Tunc Rex Veremundus corde compunctus Eccleſiam B. Jacobi, & cætera loca, quæ Almanzor profanarat diripiens, prout potuit, reſtauravit, & bonis operibus, & eleemoſynis jam intentus de commiſſis cum conſilio prælatorum pœnitentiam agere ſatagebat, & in villa, quæ eſt in Berizo, moritur, & ſepelitur. *Roderic. Tolet. de rebus Hiſpan. l.5. c.17. & Jo. Vaſæus ad An. 982. Crantz. lib.* H *5. hiſt. Sved. cap.21.*

Matrona quædam Miſnen. diœceſeos ex villa Pretzendorpff. propè Eribergam, noſtra hac tempeſtate dæmonio arrepta, ad ſepulchrum divi Bennonis adducta, cùm nullis dæmon exorciſmis ab ea fugari poſſet, induta eſt tandem divi Bennonis caſula, & datus in manu baculus paſtoralis, quo facto, exclamavit dæmon: Nunc tempus eſt, ut egrediar: relinquam tamen hoſpitæ meæ ſignum, quo mei perpetuò meminerit: moxque aperto altero mulieris crure, terribiliter eliſum eſt. Foramen autem, quod ille fecerat, nulla medicorum arte ſanabile mulier adhuc hodie geſtat, & ut, timendum eſt, donec vixerit, non abolebitur, Præterea, ut pius erga ſupplices, ita ſeverus in obſtinatos divus pater juxta promiſſa ſua ſæpiùs inventus eſt. Marchionem enim Vvilhelmum, eum, qui Crymmis mortuus eſt, cùm Præpoſitus olim Miſnenſis, Brutenus nomine, ſæpè adhortatus

hortatus eſſet, ut ab exactionibus, & ſervitiis quibus, colonos ac ſubditos Eccleſiæ Miſnenſis præter jus, ac conſuetudinem prægravabat, deſiſteret, nec eum ab incœpto poſſet deflectere, ad auxilium tandem divi Bennonis confugit, qui exoratutandem aſſiduis Præpoſiti præcibus Marchioni in ſomnis, apparuit, arguens,& commonefaciens ad remittenda injuſta gravamina. Cùmque is conſiliariorum ſuorum ſuaſu, dicentium non eſſe curanda ſomniorum deliramenta, in nullo ſe emendaret alia vice per quietem iterùm viſus eſt ſibi Benno irruere, & face, quam manu geſtabat, alterum ocellum inurere. Qui manè ſurgens, & eluſcatum ſe ſentiens, tandem compunctus corde, Eccleſiæ Miſnenſi non ſolùm data reſarcivit damna, verum inſuper multa contulit donaria, quibus, ut ſperandum eſt, benedictionem pro maledictione à Deo promeruit. Legitur tamen tam hunc, quàm divi Bennonis percuſſorem, ſpe prolis à Deo fruſtratos abſque legitimo deceſſiſſe hærede, in pœnam læſæ Eccleſiaſticæ libertatis. *in vita, B. Bennonis Epiſcopi Miſn. c.32. apud Sur. 16. Julii & Bredemb. l.5.c.54.*

De Sancio majore Navarræ, atque Caſtellæ Rege omnes ferè rerum Hiſpanicarum ſcriptores ferunt, quòd cùm die quadam in venatione aprum inſectaretur, ille fatigatus, intra obvios parietes, qui ſupererant memoriæ S. Antonini martyris ſe recipit, apud relictam ibi ſacram aram conſiſtens, tutum aſylum, Angelorum cuſtodia vallari conſuetum. Sic juxta illud oraculum: Homines & jumenta ſalvabis, Domine: Cùm Rex venabulo illum appeteret, elevatum brachium ad feriendum mox torpedine redditum ſenſit inutile: ſed reatum agnoſcens martyrem deprecatus, ad priſtinum uſum ſenſit divinitus revocatum, didicitque ſuo damno, quanta deberetur locis ſacris immunitas, etiamſi corruiſſe viſa fuiſſent, ut nec beſtiam illuc fugientem lædere licuiſſet: *Baron. Annal. tom.*11. *An.*1032.4. *Ex Roderic. Polet. l.6.c.6.*

CONSTITUTIONES, ET LEGES PRO EADEM RE.

Lucius III. Pontifex *in c. cum Eccleſ.5. de Immunit. l.3. tit.39.* ſub anathematis pęna vetat, ne ſæculares judices, cauſas, ubi de ſanguinis effuſione, pęna corporali agitur, in Eccleſiis aut, cœmeteriis tractent.

Gelasius verò ſacrilegium exiſtimat, hominem reum ad ſanctuaria confugientem reluctantem violenter abſtrahere, & ideò eos ab omni Eccleſiarum ingreſſu, qui hoc auſi ſunt, prohibet. *In c. Frater, & Coepiſcopus c.17.q.4.*

In Concilio quoque Ilerdenſi *c.8. c. nullus Clericorum 9. eadem* 17.*q.*41. nullus Clericorum ſervum, aut diſcipulum ſuum fugientem ad Eccleſiam extrahere audeat, vel flagellare præſumat. Quod ſi fecerit, donec dignè pœniteat, à loco, cui honorem non dedit, ſegregetur.

Et Conſilio Triburienſi *c.20. & in legibus Bojariorum tit.7. c. Si quis contumax 20. eadem* 17.*q*.4. Si quis contumax, vel ſuperbus, timorem Dei, vel reverentiam ſanctarum Eccleſiarum non habuerit, & fugientem ſervum ſuum, vel quem ipſe perſecutus fuerit, de atrio Eccleſiæ, vel de porticibus quolibet modo Eccleſiæ adhærentibus per vim abſtraxerit, pro immunitate nongentos ſolidos Epiſcopo componat: & ipſe publica pœnitentia, juſto judicio Epiſcopi mulctetur.

In jure civili extat conſtitutio Honorii, & Theodoſii CC. *in l.2. de his qui ad Eccleſias confugerunt l.1. eod. tit.* Fideli, devotaque devotione, inquiunt, ſancimus nemini licere ad ſacroſanctas Eccleſias confugientes abducere: ſub hac videlicet definitione, ut ſi quiſquam contra hanc legem venire tentaverit, ſciat, ſe majeſtatis crimine eſſe retinendum.

Et è Leone Imperatore *in l. præſenti lege 6. eo tit. c.* ſupplicium imponitur invadenti confugam ex Eccleſia, pro quo adeundus Epiſcopus, & Clerici Eccleſiæ reverentia religionis, & loci non violata, confirmantur privilegia Eccleſiarum, Clericorum, & confugarum *in l. ſi qua per calumniam.*22. §. *de Epiſcopis & cleric.*

* QUI IMMUNITATE ECCLESIÆ NON GAUDEANT.

Apud Judæos.

Lex Dei eſt, *Exod.*21.*v.*11. Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias ab altari meo evelles eum, ut moriatur *Relatum in c. de homic. lib.*5.*tit.*12. Juxta quam repelluntur ab Eccleſiæ aſylo, Latrones, qui vias obſident, depopulatores nocturni agrorum, quia per inſidias delinquunt. *Canter alia 6. de immunit. Eccleſiæ.*

Excipitur & publicus Latro *in c. ſicut antiquitus 6.17.q.4.*

Sententia autem Philonis Judæi *l. de ſpecial. legibus*, de jure aſylorum impiis denegando, digna eſt, quæ hìc adſcribatur. Homicidæ, inquit, cenſendi ſunt, non ſolùm, qui interimunt, ſed etiam, qui nihil non conantur clamque, palàmque, ut interficiant, etiamſi non perpetraverint facinus. Quod ſi præ metu, vel audacia vitiis contrariis in templum irrumpere tentaverint impunitatis prohibendæ gratia, impediendi ſunt: ſin autem jam ſurrepſerint, dedendi ſunt ad ſupplicium, cum hoc præconio; Hominibus nefariis in fano jus aſyli non deberi. Nam quiſquis malum dat incurabile, inimicus eſt Deo. Homicida autem lædit immedicabiliter, quia occiſus non poteſt in integrum reſtitui: pollutos vero ineluibili ſcelere abluendos nulla mora temporis, dignabimur aditu ſacrarum ædium, quos nec privata quidem domus honeſti viri, & ſanctitatem amantis admitteret, &c. quæ ibi copioſè, & eruditè in hanc rem expenduntur.

Apud Alias Nationes.

Caſus quidam excepti ſunt, apud aliquas nationes, vel ex more, vel ex lege, in quibus jus aſyli non habeat locum, nec immunitas.

Et primùm impunè licèt ad Eccleſias confugientes educere, ſi alieni à religione, quæ eo in templo colitur, ſint: veluti ſi Judæi ad Eccleſias confugerint *l. de iis qui ad Eccl. confug. C.* Si excommunicati, hæretici, & alii, quos proſequitur *Nicolaus Boerius deciſ.*310.

Olim etiam ſervi, adſcriptitiique coloni ab aris ſubmovebantur, & dominis reddebantur *lib.3. ad tit. de iis qui ad Eccl.* quod poſteà temperatum eſt *lib. ſi. C. eo tit.*

Cicero 3. in Verrem. meminit M. Aurelium Scaurum evocaſſe Rom. in judicium Periclem Epheſium hominem, quòd is Epheſi ſe quæſtorem ut prohibitum eſſe dicebat, quo minus è fano Dianæ ſervum ſuum, qui in illud aſylum confugiſſet, abduceret, & is author injuriæ diceretur.

Evelli Salomon juſſit à cornu altaris Joab, & interfici, quia proditor majeſtatis fuiſſet. 3.*Reg.c.*2.

Lege quoque divina, & humana juſtum viſum eſt, atrociter delinquentes, veluti, adulteros, homicidas, raptores, & id genus ab aris ſubmoveri ad quas confugerint, & in ſupplicium abduci, Etenim legis auxilio indigni ſunt, qui in legem peccant. *Deut.*19.*Numero* 35. *Joſ.*20.§. *neque autem homicidæ de mand. princ. coll.3. tit.4. & l. auxilium de minor. in P.L. ſi ſive, ad S.C. Vellejan. C. lib.2. ſi minor ſe major. dixe. l. ii qui ſanctam, de apoſt. C.*

Extat conſtitutio Franciſci I. Galliarum Regis anno Domini 1539. *art.* 166. qua prohibentur immunitates Eccleſiarum pro debitis, aliiſque cauſis civilibus, vel aliis, quibus prehenſio decreta eſt perſonæ.

Joannes Lucius l.1. pracit. Cur. tit.2. Plac. ſi. placuiſſe memorat Senatui Pariſienſi, ob æs alienum nexui corporis, & fortunarum obligatum, in loco ſacro comprehendi poſſe.

Denegatur immunitas iis, qui rei ſunt tributorum publicorum, ea namque & utilia templis ſunt. §. *publicorum vero tributorum. de mand. princip. col.3. tit.*4.

Item Curialibus, & apparitoribus, qui fiſcalia intercipiunt, ut ſtatuitur in edicto Juſtiniani 10.

Non gaudent etiam immunitate Eccleſiarum ſacrilegi. *C. ſi. de imm. Eccl. c. ſi. & c. conqueſti de ſent. excom.* quive Eccleſiam violarunt, & alios eò confugientes extraxerunt. *c. frater & can. ad Epiſcopos* 17.*q*.4. Non effractores carcerum, non damnati à judice, neque ii, qui jam comprehenſi, vel ab adminiſtris judicii, vel aliis inſecuti, ut comprehenderentur, ad Eccleſias confugiunt, *vide plura apud Boerium deci.*110.*n*.9. & 10.

In Gallia, & in Alemania ſecundùm Papienſem, confugiens ad Eccleſiam non gaudet immunitate: at Chaſſaneus Pictavii vidiſſe ſe gaudere confugientem damnatum morte teſtatur.

In legibus capitularibus Caroli Magni, *c.*8. homicidæ, cæterique rei, qui per leges mori debent, ad Eccleſiam confugientes non excuſantur, nec permittitur eiſdem ibidem victum prębere. Idipſum ſtatuitur in legibus Longobardorum, *tit. de rever. Eccleſ.*

QUOMODO TRACTANDI, QUI SIC AB ECCLESIA EVELLUNTUR.

Quamvis plura crimina immunitate Eccleſiæ non gaudeant, tamen ſervandum eſſe modum ſuggerit *Toloſanus lib.*13. *de Republic. cap.*23. *num.*11. ut quando educuntur rei

criminum ex Eccleſia inviti, idipſum fiat ſine tumultu, aut ſcandalo ſacrorum, propter reverentiam Numinis; neque excuſandos puto impios, vel crudeles ſatellites, qui prætextu mandati judicialis capiendi aliquos in locis etiam ſacris, inſolentius, quàm reverentia loci poſtulet, ſe geſſerint: ne videantur Chriſtiani inferiores in viri Dei cultu, & irreverentiores ipſis Ethnicis in templorum ſuorum, & idolorum religione conſervanda, ejuſque rei gratia non pigebit exempla referre, & imprimis Sybillæ oraculum, quod habetur 3. oraculorum ejus.

Τείχεα δ᾽ εὖ ποιητὰ χαμαὶ πεσέονται ἅπαντα
Ἀνδρῶν δυσμενέων, ὅτι τὸν νόμον οὐκ ἔγνωσαν,
οὐδὲ κρίσιν μεγάλοιο θεοῦ, ἀλλ᾽ ἄφρονι θυμῷ
πάντες ἐφορμηθέντες ἐφ᾽ ἱερὸν ἤρατε λόγχας.
καὶ κρίνει πάντας πολέμῳ θεὸς, ἠδὲ μαχαίρῃς
καὶ πυρὶ, καὶ ὑετῷ τε κατακλύζοντι, καὶ ἔσται
θεῖον ἀπ᾽ οὐρανόθεν, αὐτὰρ λίθος, ἠδὲ χάλαζα
πολλὴ καὶ χαλεπή· θάνατος δ᾽ ἐπὶ τετράποδ᾽ ἔσται
καὶ τότε γνώσονται θεὸν ἄμβροτον, ὃς τάδε κρίνει. Id eſt,

Muri affabre facti in terram cadent omnes
Hominum inimicorum, qui legem non agnoſcunt,
Nec judicium magnum Dei, ſed inſipientes mente
Omnes impetu adacti levantes contra ſacrum lanceas ſunt.
Judicat Deus omnes bello, & gladio,
Et igne, & pruina demergente, & inundante; & erit
Sulphur è cœlo, ſed & lapis, & grando,
Multa, & gravis, & mors in quadrupedibus erit;
Et tunc cognoſcent Deum immortalem, qui hæc omnia fecit.

Sunt ſacrilegi reputati, qui res in templo depoſitas, etiam non ſacras, de ſacro loco rapiunt 21. *c. ſi quis inventus fuerit* 17.*q*.4. Ut etiam aves, quæ ibidem nidum habent, olim periculum fuerit eiicere, multò magis ut homines eò confugientes ſupplices, quò pertinet etiam oraculum, de quo meminit *Herodotus in* 1. Cùm enim, inquit, Pactias profugus Cumæ templum ſupplex ingreſſus fuiſſet, & Ariſtidicus Cumæorum nobili templum circumiens paſſeres, aliaſque aviculas, quæ fortè in templo nidulabantur, è nidis exemiſſet, vox ex adyto audita tunc ad Ariſtidicum: Hominum ſceleſtiſſime, quænam libido te inceſſit, ut auderes meos ſupplices diripere?

Extat Conſtitutio Gregorii XIV. declarans quinam confugientes ad Eccleſiam immunitate gaudere non debeant, & quis modus ſervandus in illis extrahendis. Diſponit autem & Laicis ad Eccleſias, locaque ſacra confugientibus, ſi fuerint publici latrones, viarumque graſſatores, qui itinera frequentata, & ſtratas publicas obſident, ac viatores ex inſidiis aggrediuntur: aut agrorum depopulatores: quive homicidia, aut membrorum mutilationes in ipſa Eccleſia aut cæmeteriis committere non verentur: aut qui proditoriè alium occiderit: aut Aſſaſini, aut hæreſis, aut læſæ Majeſtatis in perſonam ipſiuſmet Principis rei, immunitas Eccleſiaſtica non ſuffragetur. Sed qui talia delicta commiſiſſe videbuntur, quando à Curia Sæculari Epiſcopi fuerint requiſiti, extrahantur, & ad carcerem Epiſcopi traducantur, nec ſæcularis Curiæ poteſtati conſignentur, niſi Epiſcopus, aut ab eo deputatus de crimine cognoſcat, an verè tale ſit: & tum demum tradentur de ipſius Epiſcopi mandato. Et ſæculares ſecus facientes incurrunt pęnas, & cenſuras contra infractores immunitatis Eccleſiaſticæ latas.

Concilium Tridentinum *ſ.25.c.20.* etiam adhortatur omnes Reges, & Principes, ut immunitatem Eccleſiaſticam, vel maximè commendatam habeant. Et extat de eadem re vetus Epiſtola *Alexandri VI.22. oct.*1492. ad Philippum Archiducem Auſtriæ, Ducem Saxoniæ, & alios Principes. Legatur *Jus Pontificium novum Franc. Xipei Canon. & Officialis Antuerpienſis lib.3. de Immunitate Eccleſiæ.*

Scripſit idem Argumentum Suarez lib.3. de virtute Religion. c.8. & ſequentibus. Videatur etiam locus de Aſylo.

* TEMPLA NON ESSE DANDA HÆRETICIS.

Anno Domini inſtabat vehementer Theodora Auguſta, ut Vigilius Pontifex Max. Conſtantinopolim proficiſceretur juxta promiſſionem factam ante Pontificatum adeptum, & Anthemium Patriarcham Conſtantinopolitanum, pulſo Menna Catholico, reſtitueret. Quòd cùm ſe facturum negaſſet, niſi priùs pœnitentiæ libellum daret, reſipiſceret, ac ſatisfaceret; cenſere enim ſe, quæ Agapetus, & Silverius contra Anthemium hæreticum egiſſent, jure facta eſſe, & propterea eorum acta nullo modo eſſe reſcindenda videri, aſſereretque, malè promiſiſſe, & malè promiſſa nolle exequi. Irata Theodora, & Romanis quibuſdam adjuvantibus, Vigilium in judicium vocat. At ferunt, eum navi per Tyberim evectum in Siciliam fugiſſe: & inde Conſtantinopolim perveniſſe. Ubi cùm Theodora denuò inſtaret, ut, quod pollicitus erat, præſtaret; Cui ille, malle ſe quodvis ſupplicium pati, & millies mori velle, potiùs quàm hominem hæreticum, & à prædeceſſoribus ſuis damnatum revocare, & ſententiam mutare, reſpondit: Et cùm mulier cum ſuis, qui aderant, minis inſtaret; ad Diocletianum ſe, non ad Juſtinianum, quemadmodum arbitrabatur, veniſſe dicens, ita cæſus eſt, ut paululùm abfuerit, quin tunc occideretur. Fugiens itaque in templum S. Euphemiæ, quod haud procul aberat, inde à graſſatoribus trahitur, & injecto in collum fune, tanquam latro per totam urbem uſque ad veſperam trahitur. Deinde carceri incluſus, pane, & aqua aliquandiù ita patienter vixit, ut ſemper diceret, ſe etiam majora meritum, ſi digna pro peccatis pœna irrogaretur. Clerici verò, qui Pontificem ſequuti fuerant, partim in exilium; partim ad reſcindenda metalla deportati ſunt. Verùm poſteà rogantibus Romanis omnibus, qui jam ſententiam mutaverant, & inſtante etiam Narſete, & Vigilius ipſe, atque exules omnes in libertatem remittuntur, & in patriam redeundi, cùm vellent, libera copia datur. *Alfonſus Diaconus de vitis, & geſtis Pontificum in vita Vigilii anno Dom.*552.

Valens Imperator fautor Arianorum, cùm Eccleſiam quandam, quæ Chriſtianorum erat, Arrianis tradidiſſet, vir ſanctus Baſilius Magnus Epiſcopus Cæſarienſis non eſt veritus eum graviter increpare. Sublatis jurgiis eò deducta res eſt, ut fidei periculum facerent. Clauſerunt itaque Eccleſiæ fores, ac utrimque ſigillo munierunt, decernentes, ut ad quorum precationem per ſe patefierent, illis ejus poſſeſſio cederet. Ariani tres dies ſupplicationibus continuis in caſſum orarunt. Baſilius verò poſtquam precatus eſt, levi bacillo portas Eccleſiæ tetigit, dicens; Attollite portas, principes, veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ: Et ſtatim, ac ſi vocem jubentis ſenſu aurium, quas non habebant, percepiſſent, patuerunt, idcircò numine refragante Eccleſia adjudicatur Chriſtianis, & plerique etiam Arianorum relicta hæreſi fidelibus ſe junxere, quòd ſolis illis patere cœli aditum dicerent, ad quorum invocationem ſic aperiri Eccleſiæ aditum viderant. *Amphil. in vita S. Baſilii Petr. de Natal. lib.*2. *SS. cap.*28.

Circa annum Domini 400. Gainas quidam nomine erat Conſtantinopoli, genere quidem Celtus, præter autem omnem modum barbarus, militiæ Romanorum aſſuetus. Hic cùm per gradus promotus eſſet, deſignatur tandem Romanæ militiæ equeſtris pariter, ac pedeſtris dux: Arianæ peſtis velut ſortito complex is erat. Quare ex ædibus ſacris, quæ in civitate erant, auſus eſt unam ab Imperatore (Arcadio) depoſcere attribuendam ſuæ hæreſeos conſortibus. Imperator autem reſpondet ſe ea de re capturum conſilium, pollicitus autem eſt eis principatum quendam. Eam poſtulationem accerſito ad ſe eximio Joanni Chryſoſtomo Epiſcopo Conſtantinopolitano aperuit, ſimulque commeminit promiſſi potentatus, tyrannidem inſuper ab illo excogitatam ſubindicavit, hortabatur, ut dono quopiam præferocem barbari animum ſuffrenaret. Ad hæc reſpondit vir ille generoſus: Ne tu, ò Imperator, talia pollicearis; tu ne ſuadeas, ut ſancta dem canibus iſtis: non enim feram eos è templo exigi, qui Deum, & ſermonibus prædicant, & concelebrant hymnis. Hiſne jubes, ut dem templum Deo conſecratum, qui ipſum inceſſunt ore blaſphemo? Ne quid tibi, ò Imperator malè metuas ab iſto barbaro. Tantùm & utrumque jubeto acciri, me, & illum. Tu quidem ſubauſculta ſilenter, quæ dicentur. Ego ſanè illius infrenabo linguam: equidem perſuadebo tunc illum efflagitaſſe, quod dare neutiquam expedit. Hiſce auditis, Imperator exhilaratus animo eſt. Et quidem repoſcebat ille pollicitationem: Eximius autem Joannes reclamabat poſtulationi, aſſerens nequaquam convenire Imperatori, nec eſſe rationi conſentaneum, ut quicquam moliri auſit adverſus ædes Deo conſecratas, quippè qui conſtituit piè Deum colere. Illo autem reſpondente, ſibi, ſuiſque oratorio eſſe opus, ait Joannes: Nulli non adaperta eſt domus Dei, ac proinde nemo cupientem orare, & vota nuncupare prohibere poteſt. Ad hæc Gainas. Sed meum ſodalitium mecum expetit ſibi concedi ædem unam ſacram, & valdè quidem juſtè id dari poſtulo, quippè